



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Tractatus De Libertatibvs Ecclesiae Gallicanae**

**Charlas, Antoine**

**Leodii, 1684**

Liber Duodecimus. De Appellationibus tanquam ab abusu.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38227**

## LIBER DUODECIMUS

*De Appellationibus tanquam ab abusu.*

I. **I**nter omnes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ articulos plurimum eminet, & ad defendendos alios excogitata est appellatio tanquam ab abusu; qui modus hodie omnium frequentissimus est usurpandæ, aut ligandæ jurisdictionis spiritualis sub prætextu libertatis. Edmundus Richerius in suo Tractatu *De Ecclesiastica & Politica potestate* num. 13. asserit, quod *hec ratio procedendi Gallorum, originem præbuit Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus, ut eas vulgò vocant.*

II. Carolus autem Fevret, qui Tractatum integrum novem in libros distinctum eo de argumento conscripsit, lib. 3. cap. 1. num. 1. tradit hujusmodi appellationem esse libertatis Ecclesiæ Gallicanæ partem. Non minoris interest Cleri Gallicani, quàm Sanctæ Sedis, ut plenè confutetur infesta Ecclesiæ jurisdictioni doctrina, quæ in eo Tractatu continetur. Quamobrem ampliorem, & accuratiorem ejus confutationem Gallis, jurisdictionis Ecclesiasticæ non negligentibus, & Cleri jurium, pariter atque usum contrariorum benè  
 C c c c c con-



754 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
consciis, dimittentes: Scriptorem illum per singu-  
los articulos non insequemur: sed argumenta, qui-  
bus appellationes illas propugnat, discutiemus, quan-  
tum latet, ut pateat librum esse perniciosissimum;  
atque ita neminem, nisi volentem fallat. Huc etiam  
propter materiae connexitatem referemus tria ulti-  
ma capita lib. 4. D. Petri de Marca, in quibus de  
appellationibus ab abusu disputat.

## CAPUT PRIMUM.

*Quid sit appellatio ab abusu, & quae illius origo.*

1. **A**ppellatio definitur à Jurisconsultis; à minore Judice ad  
majorem, ratione gravaminis, facta provocatio. Abusus autem  
est perversus alicujus rei usus, seu usus minus bonus, ad quem res  
destinata non fuerat. Itaque, si justa, & legitima sit appel-  
latio, nunquam interponetur, nisi ab aliquo abusu. Si enim  
Judex inferior rectè judicat, partibus gravamen non infert,  
atque aded appellationi locum non praebet; si alterutri facit  
injuriam, abutitur suâ potestate, quae circa justitiam dispen-  
sandam versatur. Sed à generali significatione ad particularem  
vox accommodata fuit in Gallia.

2. Illic enim appellatio ab abusu definitur in hunc mo-  
dum; à Judice Ecclesiastico suâ potestate abutente ad Judicem saecularem  
provocatio: quam definitionem sic explicat D. Petrus de Marca  
lib. 4. cap. 19. §. 4. *Etsi abusus significatio quamcumque Ministerii spiri-  
tualis aberrationem complectatur, sive in negotiis Ecclesiasticis, seu in tempo-  
ralibus versetur, ut patet ex testimoniis jam relatis: attamen formula appella-  
tionum ab abusu specialiter accommodata est à Pragmaticis antiquis querela  
illi, quae à Clericis adversus vim Judicum Ecclesiasticorum ad Magistra-  
tus Regios deferretur, sive de Rescriptis Romana Curia conquerantur, sive de  
judiciis Episcoporum.* Mutilam tamen esse hanc definitionem ad  
fo-



folius Judicis Ecclesiastici abusus restrictam videbimus §.7. capituli sequentis.

3. Nomine appellationis abuti videntur sic nuncupantes provocationem à Judice Ecclesiastico ad sæcularem, cum nulla sit inter eos subordinatio, sed sint omnino distinctæ potestates, Ecclesiastica & sæcularis, & habeat utraque suos gradus, à gradibus alterius omnino distinctos; ut ab aliquibus, quamvis non omnimoda sit paritas, comparentur, quod jam alibi notavimus, duabus lineis Parallelis, quæ quantumvis progrediantur, nunquam sese contingent, aut conjungentur: cum igitur Judex Ecclesiasticus in rebus spiritualibus Judici laico suppositus non sit, ab illo ad istum tanquam à minori ad majorem, provocari non potest; sed à Judice Ecclesiastico inferiori, ad Ecclesiasticum superiorem, & ab isto rursus ad altiorem, donec deveniatur ad summum. „Si quid, „ait Carolus Fevretus lib. 9. cap. 3. num. 15. in praxim, usum „ac vocem ipsam abusus Curie Romanæ, ac Curiarum Ecclesiasticarum Regni odium commovit, id fuit nomen appellationis. Nunquam enim Clerus molestè tulit notorium, „& manifestum abusum reparari. At vox appellationis, quæ „usurpata fuit, ut ad illam reparationem procederetur, intolerabilis visa est. Non enim concoqui potuit, ut à iudicibus Ecclesiasticis, & à Rescriptorum, & Decretorum Summi Pontificis executione appellaretur, ac postea hujusmodi appellationes in Curis sæcularibus judicarentur, &c.

4. Quamobrem fatentur Galli non dici simpliciter appellationem illam, quæ ab Ecclesiastico Judice ad sæcularem movetur. *Simplicem enim, & meram appellationem*, inquit Illustrissimus Petrus de Marca lib. 4. cap. 19. num. 5. *Ad Curiam Regiam nunquam in Gallia admissam fuisse fatentur Petrus de Cumeris art. 14. Masuetius tit. de appell. §. 22. & Joannes Gallus quest. 161.* Verùm cum illo additamento, *ab abusu*, propriè, ac justè appellationes dici posse arbitrantur, quasi vox magis odiosa rei ab altera voce significatæ odium minuere possit, aut verba mitiora veram injuriam abstergere.

5. De origine hujusmodi appellationum non consentiunt, qui de illis disputaverunt. Appellatio quidem antiquissimum est contra iniquitatem Judicum inferiorum remedium. Quovis



M. C.  
Libertatibus  
Ecclesie Gallicae  
CIII  
231

756 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
tempore, ex quo Christiana pietas defervescere cœpit, in-  
venti sunt nonnulli Judices Ecclesiastici, qui datâ sibi auto-  
ritate abuterentur: non defuerunt Principes, & Magistratus  
sæculares, qui de illo abusu conquererentur. (Justane, an in-  
justa esset querela, vel quod apponebatur remedium postea  
expendemus). Verùm appellationes ab abusu sub eo saltem no-  
mine non itâ sunt antiquæ.

6. Carolus Fevret lib. 1. cap. 2. num. 2. antiquiorem appel-  
lationem refert ad annum 1404. allegans Placitum, seu Ar-  
restum Senatus Parisiensis eo tempore datum, pro quo citat  
tom. 2. Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ cap. 7. num. 27. sed  
quid Placitum illud contineret ignoratur, cum nec à Fevre-  
to, nec ab Autore tomi de libertatibus referatur, sed tantùm  
citetur. Allegatur item ab utroque aliud Placitum anni 1449.  
Verùm in isto refertur tantùm Procuratorem Regium dixisse,  
posse appellari à jurisdictione Ecclesiastica ad sæcularem, quasi  
ab abusu, ac per viam prohibitionis, & nullitatis, ex eo quod  
Rex Deum tantùm superiorem agnoscat: Ecclesiastici verò  
jurisdictionem temporalem non nisi à Rege habeant, qui de  
ea, si abusus intercesserit, potest cognoscere: ex quo patet  
ibi agi de Judicibus Domini temporalis Ecclesiæ, à quibus  
ad Judices Regios appellatur; sed hoc ad causas profanas, non  
autem ad spirituales spectat.

7. In defensione Reginæ Navarræ Pio IV. ex parte Ca-  
roli IX. Regis Franciæ missâ anno 1564. earum appellatio-  
num usus circa ea tempora incepisse dicitur, cum Cardina-  
lis Julianus à Balua Legatus à Latere ad Carolum VIII. etiam  
Regem Franciæ missus fuisset à Sixto IV. an. 1489. „Eo  
„tempore usurpari cœperunt appellationes tanquam ab abu-  
„su, quas emittendas ad Senatum placuit, ab executione  
„omnium Rescriptorum Curie Romanæ contrariorum sanctis  
„Decretis, libertatibus, & immunitatibus Ecclesiæ Galli-  
„canæ, quarumque usus plurimum viguit, propter optima,  
„quæ inde consecuta sunt commoda; ut scilicet hujusmodi  
„abusus à Senatibus autoritate Regia revocarentur. Libert.  
Eccles. Gallic. tom. 1. pag. 96.

8. Citatur à Renato Chopino de sacra politia lib. 2. tit. 4.  
provocatio Procuratoris Regii à quibusdam monitionibus  
In-



Innocentii VIII. contra Flandros: sed hæc provocatio dirigitur ad Papam modernum melius informandum, & sanctam Sedem Apostolicam. Addit quidem; seu ad eum, vel eos, ad quos jure provocare potest, vel debet. Sed iis verbis non designabantur appellationes ab abusu, cum in jure fundamentum non habeant.

9. Inter acta Cleri Gallicani, scilicet tom. 1. tit. 2. cap. 19. ult. edit. continetur Eruditissimus, & solidissimus Tractatus de jurisdictione Ecclesiastica, in quo appellationum ab abusu origo, pragmatica sanctione recentior demonstratur, & ejus esse quasi partus abortivus; notaturque Ægidium le Maître Protopræsidem in Senatu Parisiensi in collectione appellationum ab abusu nullam anno 1533. antiquiorem retulisse; Lucium item in libro 2. placitorum summæ Curie in titulo appellationum, quæ à veluti abusu nuncupantur, nullam habere, nisi ab anno 1537. quamvis citet etiam litteras appellatorias ab executione Rescripti Pontificii anno 1491.

10. Non potest certè usus ille admodum antiquus esse, quandoquidem Stephanus Aufrerius Præses in Senatu Tolosano sub initium sæculi proximè elapsi in additione ad repet. Clement. 1. de offi. ordinar. reg. 2. num. 30. mirabatur, qui possent legitimæ haberi appellationes; De quibus, inquit, sæpe numero dubitavi, ubi fundari poterant in jure; sed & tunc Judices de illis judicium ferre verebantur. Subjungit enim idem Aufrerius; Nunquam tamen audiivi, neque vidi, nisi semel, quod super meritis hujusmodi causarum appellationum fuerit pronunciatum: sed dumtaxat vel appellationes annullari, aut quod appellantes non erant ut appellantes recipiendi, quia à Judice spirituali non est ad secularem appellandum. „ Non debemus, inquit etiam Stephanus Pasquierius lib. 3. inquisitionum suarum cap. 38. æstimare remedium illud appellationum (tanquam ab abusu) aut tempore Philippi Valesii (qui obiit an. 1350.) aut 140. vel 160. annis postea inductum fuisse. Nulla enim fit ejusmodi appellationum mentio, neque in regestis Curie, neque inter Senatus-Consultata à Joanne Gallo Procuratore Regio tempore Caroli VI. (qui obiit anno 1422.) collecta, neque inter decisiones Capellæ Tolosanae ab Aufrerio Præsidente in Senatu Tolosano digestas, neque inter decisiones Senatus Delphinalis à Guidone Papa editas.



11. Antiquior appellatio tanquam ab abusu assignatur à D. de Marca lib. 4. cap. 19. §. 4. nempè, quam interposuit Procurator Capituli Parisiensis an. 1501. à decimæ indictione, quam Alexander VI. in Gallia exigi iusserat. Sed ea appellatio primò dirigitur ad præfatum sanctissimum N. Papam melius consulendum, vel consultum, & sacrosanctam Synodum universalem primò celebrandam: quibus verbis fatetur appellans appellationem ad Ecclesiasticum tribunal pertinere, nec per appellationis viam ad Principes se recurrere debuisse.

12. Licet magna videatur inter illos Scriptores, de tempore, quo usurpari cœperunt appellationes ab abusu, diverfitas; ex omnium tamen consensu colligitur, earum originem non esse valdè antiquam; quod certè in re tanti momenti non obscurum est de injustitia præjudicium.

## C A P U T II.

*De progressu appellationum ab abusu.*

1. **P**Rælati Comitiorum Cleri Gallicani an. 1635. Parisiis congregati contra hujusmodi appellationes graviter conquesti sunt. Cumque eas penitus abolendas non sperarent, petierunt, ut illis modus adhiberetur; monueruntque illas idè institutas fuisse, ne Judices Ecclesiastici sæcularem jurisdictionem, aut sæculares Ecclesiasticam usurparent. Idem tradit Burdinus Procurator in Senatu Parisiensi Regius, à Carolo Fevret lib. 1. cap. 1. num. 4. relatus, his verbis; *Appellatio ab abusu hinc derivata est, quod Judex Ecclesiasticus, dum sibi partes vindicare conatur Judicis Laici, contra leges, & statuta Regia, jurisdictione sua abutatur: ex quibus, & ex Edictis, ac Placitis in tom. 2. Libert. Gallic. cap. 7. num. 27. relatis, appellationum illarum in sua origine eum solum effectum fuisse colligitur, ut Regia jurisdictio conservaretur. Postea tamen interpositæ sunt ad impediendos Judices Ecclesiasticos, ne potestate sua in cæteris negotiis abuterentur, ac denique eo processerunt, ut nulla, quantumvis spiritualis causa eis obnoxia non sit,*



2. Reges quidem suis Edictis modum eis interdum ponere cœperunt, ut videre est in actis Cleri tom. 2. parte 1. cap. 18. Sed nimius est Magistratum sæcularium, vel ad deprimendam Episcoporum Dignitatem, vel ad propriam augendam, ardor; quàm ut possit solis illis frænis cohiberi. In declivi posita videntur esse omnia humana negotia, ut primus quidem gressus difficilis aliquantum sit; at verò ubi semel inchoatus est motus, res suo pte impetu, ac nullo impellente per præceps ferantur. Initio appellationes ab abusu, cum essent insolitæ, atque ab ordine, ac jure communi remotissimæ, ipsos etiam Judices perterrere videbantur; ut superiori Capite insinuatum est: modò autem mirificis etiam laudibus extolluntur, ut infra videbimus.

3. Tuenda primùm fuit jurisdictio Regia, deinde Laicorum, v. g. patronorum in Ecclesiis jura; postea jurisdictio Episcoporum, præsertim circa redditus ac beneficia; postmodum Regni mores servandi; denique leges, ac etiam Senatus-consulta vindicanda. Initio suspendebatur executio; deinde coacti Episcopi Decreta revocare; denique ab ipsomet Senatu irrita ac nulla declarata sunt. Circa bona temporalia, vel beneficia versabantur primæ appellationes; de materia Ecclesiastica, circa disciplinam subsequentes; modò etiam circa Sacramenta, & alia omnia spiritualia juxta doctrinam Opusculi inscripti; Politia Regia in personas, & res Ecclesiasticas, autore Jacobo Duhamel, relati in primo tomo Libert. Gallic. Si contra has regulas, inquit, Edicta, Constitutiones, & placita Curiarum supremarum; si contra libertates, & immunitates Regni; si contra sancta Decreta, & Concilia recepta in Gallia; si contra jurisdictiones Regias, & temporales; aliquid à Judicibus Ecclesiasticis fieri, vel attemptari contigerit, remedium est appellatio quasi ab abusu. Idquæ non solum intelligo de causis Criminalibus Regiis, & privilegiatis; sed etiam de rebus civilibus, sæcularibus, & profanis; imò etiam spiritualibus, & sacramentalibus. Est enim Appellatio quasi ab abusu, via ad tribuendam Curiiis Parliamentorum rerum spiritualium cognitionem, quæ aliàs ipsis non competeret. Quid igitur tam sanctum, tamque Divinum reperiri poterit, quod jurisdictionem Parliamentorum effugere queat?



4. Ut in materia remota, ita in proxima, seu rerum conditione monstruosè excreverunt appellationes ab abusu. Nam principio non usurpabantur, nisi quando notorius erat, & manifestus Judicum Ecclesiasticorum abusus; undè dicebantur Appellationes *ab abusu notorio, & certo*, quæ verba in litteris hac de re in Cancellaria expediri solitis, erant exprimenda, ut certum faciunt non solum plurimi Auctores, sed etiam Senatusconsulta, quæ citantur à Carolo Fevret lib. 1. cap. 2. num. 5. & alibi: his consonat declaratio Regis Christianissimi facta ad instantiam Cleri Gallicani anno 1666. art. 16. in act. Cleri loco citato. Tamen Officiales Regii commodis, quæ ex hujusmodi appellationum multitudine accedunt, inescati, plures excipiunt, in quibus adeò non elucet abusum à Prælati Ecclesiasticis fuisse commissum, ut eas frivolas postea Senatus non possit non declarare: cujus quidem examinis circa notorietatem omisso, ipsis etiam jurisdictionis Ecclesiasticæ hostibus iniqua visa est, ut legere potes loco Fevreti modò citato.

5. Sed quot, quantisque privilegiis sensim auctæ sint hujusmodi appellationes, quibus exprimere queat? Primò possunt quovis tempore interponi, etiam post centum annos à data sententiæ, vel Rescripto, ut docent Fevretus lib. 1. cap. 2. num. 10. Duhamel, & alii hodie communiter, ex quo fit, ut nullus unquam securus sit actus jurisdictionis Ecclesiasticæ. Nam dum post multa etiam sæcula exhibebitur, si quid non solum Canonibus, sed etiam moribus, legibus, aut Senatusconsultis Gallicanis contrarium contineat, appellatione ab abusu poterit everti. Itaque nutant v. g. omnia privilegia, & omnes dispensationes, quippè cum à jure communi recedant, antiquæ disciplinæ non consentiant, atque adeò libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ adversentur.

6. Secundo nullus actus ab hujusmodi appellationibus eximitur, sive procedat à jurisdictione Episcopali, sive à Papali cum eo tantum discrimine, (quod tamen non semper observari videbitur inferius) ut reverentiùs destruantur, quæ à Summo Pontifice, quàm quæ ab Episcopis profecta sunt; quæ ad spiritualia, quàm quæ ad temporalia pertinent. Id enim supremæ Papæ Dignitati, & auctoritati tribuitur, ut

non



non à Sententia, Decreto, vel Rescripto ejus, sed ab eorum publicatione, vel executione appellari debeat; cum actus Episcoporum directè impetantur, & irriti fiant. In spiritualibus non de petitorio, sed de possessorio judicetur; nisi fortè aliquid temporale conjunctum habeat; sic v. g. Judices Laici validè sit Matrimonium, in quantum est sacramentum, non judicant; sed an Maritus (quod idem in uxore locum habet) teneatur resumere uxorem. Et quia sacramentum matrimonii præsupponit contractum civilem, decernunt, an adimplendæ sint promissiones matrimoniales; imò an separandi sint conjuges; etiam, ut à pluribus audivi, an partes ad aliud matrimonium contrahendum sint liberæ: quodque adhuc magis mirum est, dum de essentia ipsa, & validitate sacramenti agitur, non per se quidem sententiam ferunt, sed ad Judices Ecclesiasticos, alios ab ordinariis, partes, etiam pro ipsius sacramenti susceptione ad Parochos non proprios remittant. Præcipitur quidem articulo 17. declarationis jam citatæ ut, si intervenisse abusum Curia comperit, eidem Tribunali Ecclesiastico, licet non eidem Judici, causam meliùs judicandam relinquat. Sed quàm vereor, ne ille articulus, sicut & alii multi in favorem Cleri editi, à Judicibus sæcularibus posthabeantur.

7. Tertio tres sententiæ conformes à Judicibus Ecclesiasticis prolatae, appellationi obnoxiae non sunt, sed tertia definitiva conformis, omni mora cessante, executioni debitæ demandari debet, quacumque appellatione interposita non obstante, ex legibus Concordatorum tit. de appellationibus. Verùm quod ad summum Pontificem perferri non posset, ad Parlamenta per appellationem ad abusu devolvetur, quæ etiam post tertiam sententiam conformem admitti poterit, ut docet Fevretus loco supra citato & lib. 8. cap. 3. ante finem.

8. Quarto non est servandus jurisdictionum ordo, neque percurrendi varii Tribunalium gradus; non est expectandum, ut Archidiaconi iniquitatem reparaet Episcopus, Episcopi Metropolitanus, Metropolitanus Primas, Primatis summus Pontifex. Ipse quidem summus Pontifex eam seriem ita revereri tenetur, ut si vel uno gradu prætermisso causam ipse

D d d d

con-



762 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
contigerit, ejus Decreta nullius momenti futura sint, & per  
appellationes ab abusu ipsorum receptio, publicatio, & exe-  
cutio impedienda, quantumvis fuisset in mora periculum,  
Judices suspecti, denegatio justitiæ, aliave necessitas ad su-  
preum Tribunal recurrendi: censuræ, si quæ in Decretis  
Pontificiis continentur, contemnentur; nulla denique ha-  
bebitur potestatis Papæ ratio. At verò à quocumque Judice  
Ecclesiastico, &, ut ait Duhamel, à quacumque parte ap-  
pelletur, velut ab abusu, legitima est appellatio.

9. Quintò appellationibus ab abusu nullo pacto præjudi-  
cari valet. Quantumvis partes concordent, aut transigant;  
Procurator Regius, qui principalis in his causis pars habe-  
tur, appellationem prosequi nunquam non potest, ut do-  
cet Fevretus lib. 1. cap. 2. num. 9. 10. 25. & alibi.

10. Sextò statim atque appellatum est ad Judices sæculares  
Judex Ecclesiasticus superfedere debet; ac quidquid interim  
contingere poterit, negotio illi Episcopus, aut alius, sese  
nequit immiscere, nisi quantum ei à Senatu indultum fue-  
rit. Quantumcumque v. g. constet Episcopo Matrimonium  
invalidum esse, non poterit, appellatione pendente, parti-  
bus præcipere, ut quoad thorum separentur: Quamvis Pa-  
rochus intrusus sit, aut jurisdictionis spiritualis incapax, non  
poterit Episcopus Pœnitentiæ, aliorumque Sacramentorum  
administrationem alteri committere, si ille appellaverit quasi  
ab abusu.

11. Septimò Læsæ Majestatis crimen esset appellationes  
ab abusu impugnare, quia fieret injuria supremæ Regis Ma-  
jestati, summoque ejus Dominio. Itaque in tuto positum  
est istud Regiæ Coronæ jus, seu potestas Judicibus sæcula-  
ribus tributa, de qualibet, quantumcumque spirituali, re  
judicandi, dummodò appellationis ab abusu nomine in-  
signiatur. Vide Fevretum lib. 1. cap. 3. num. 6. sub finem  
in margine.



## CAPUT III.

*De justitia appellationum ab abusu.*

1. **C**um innumera sint negotia, circa quæ versantur appellationes ab abusu, & alia aliis magis minusve spiritualia, & sacra, vel temporalia & profana; non in omnibus æqualiter elucet justitiæ vel injustitiæ ratio, sed cum quadam proportione. Quidam aded evidenter injusti abusus à Judicibus sæcularibus prætextu illarum appellationum committuntur, ut ab ipsis etiam illarum Defensoribus dissimulari non possint, quamvis leniter reprehendantur. Sufficeret fortassis rationes expendere, quibus illæ appellationes à Judicibus, & Patronis defenduntur. Sunt enim aded extraordinariæ, atque ab antiquo usu ipsorum etiam Gallorum abhorrentes, ut vel eo ipso nomine ingerant suspensionem. Verùm antequam examen illud aggrediamur, præjudicia quædam adversus illas proponenda sunt.

2. Duo considerantur à Jurisconsultis, ut intelligatur, an legitimè possit institui judicium in aliquo foro, nempe partes, & causa. Varii sunt enim Judices, prout varia sunt causarum genera, vel partium Dignitates, & conditiones. Certè causas spirituales, & Ecclesiasticas ad Ecclesiastici Judicis Tribunal perferendas, vel ipsæ voces clamant, nisi fortè, quod frequenter repetere cogimur, utramque potestatem à Christo D. N. divisam, separatamque confundamus, contra Ecclesiæ universæ, ac Principum etiam Christianorum communem sensum. Nec possunt Judices sæculares suam jurisdictionem tanto cum studio tueri, quin intelligant pari quoque ratione Ecclesiæ suam esse conservandam; nec possunt alias sibi, alias Ecclesiæ, leges ponere, quin Divinam in se iram concitent: quandoquidem, ut monet Sapiens Prover. 20. vers. 10. *Pondus, & pondus, mensura, & mensura, utrumque abominabile est apud Deum.*

3. Quin etiam, ut in rerum corporalium contrectatione, qui profanum aliquid subripit, furti tantum reus est; qui

D d d d 2

verò



764 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
verò rem sacram aufert, sacrilegii crimen incurrit; ità injusti-  
tiæ quidem peccatum admittit, qui temporalem alterius ju-  
risdictionem usurpat; qui autem sacram; & spiritualem in-  
vadit, sacrilegium perpetrat. Mirum certè est, quomodò Ju-  
dices sæculares, qui Calicem, aut aliud vas Divinis Mi-  
nisteriis consecratum non solum rapere non audent, sed nec  
nudis manibus contrectare, jurisdictionem sacram ad se tra-  
here non vereantur, quasi non sit etiam res sacra, & Eccle-  
siæ maximè necessaria, & chara.

4. Ipsi etiam Imperatores, & Principes, ut jam sæpè in-  
finuavimus, solemniter protestati sunt, non ad Laicos, sed  
ad Episcopos, aliosque Judices Ecclesiasticos spectare, non  
solum condendorum jus Canonum, sed etiam interpretando-  
rum. Retulimus jam sententiam Constantini Magni, Theo-  
dosi secundi, & Valentiniani III. Caroli Magni, aliorum-  
que Principum, quibus adjungi possent alii non pauci. Sed  
nihil desiderari potest expressius, quam quod Imperator Ba-  
silii publicè declaravit in octava Synodo. Cum enim illius  
Concilii Decreta optaret ab omnibus libenter excipi, & exe-  
cutioni demandari, omnibus facultatem concessit ea propo-  
nendi, quæ sibi vel obscura, vel difficilia viderentur in ejus  
Canonibus, monuit illam licentiam eò tantum tendere, ut  
ambigua explanarentur ab ipsamet Synodo; *Quisquis habet ali-*  
*quid adversus hanc sanctam, & universalem Synodum, dicendum, vel contra*  
*hujus Canones, aut terminum, stet in medio, & qua sibi videntur dicat, sive*  
*Episcopus sit, sive quisquam de Ecclesiastico Clero, sive Laicus, aut ex iis,*  
*qui civilibus officiis mancipatus existat; quanquam non datum sit istis secu-*  
*ndum Canonem dicere quidquam penitus de Ecclesiasticis causis.* (Ecclesiasti-  
cæ causæ sunt juxta Basilii mentem non tantum terminus, seu  
fidei definitio, sed etiam Canones, circa reliquas materias, ut  
ex præcedentibus verbis patet.) Opus enim hoc Pontificum, & Sa-  
cerdotum est; Sed ex abundanti omne os iniquum obstruere volentes, licentiam  
prestantus omnibus, ut qui in mente habet, quid ambiguum de his, quæ decreta  
sunt ab hac sancta Synodo, hoc in medium exhibeat, & suscipiat satisfactio-  
nis salubre remedium. Act. 10. quæ est ultima octavæ Synodi.

5. Philippus Augustus, referente, ac in exemplum pro-  
ponente S. Ludovico, cum à suis Officialibus moneretur,  
jurisdictionem Regiam à Judicibus Ecclesiasticis usurpari,  
respon-



respondit, malle se id perpeti, quàm à Sacerdotibus cum scandalo diffidere: Utinam illius Regis Posteris, non neglectâ propriâ autoritate, sed vindicatâ contra Regios Officiales Ecclesiasticâ, dissidiis, ac scandalis occurrerent. *Dicitur de Rege Philippo Avo nostro (verba sunt S. Ludovici in documentis, quæ ante mortem filio suo Primogenito scripsit, & quasi pro testamento reliquit, referente Guilhelmo de Nangiacō Monacho S. Dionysii in Francia) quod quidam de Consiliariis suis dixit ei, quod multa damna inferebant ei Ecclesiasticæ personæ, iura ipsius usurpando; & mirabantur multi, quod ita tolerabat. Cui Rex respondit: Bene credo quod dicitis; sed quando cogito Beneficia, quæ mihi Dominus contulit, melius volo pati, quàm inter me & Ecclesiam scandalum suscitare. Ama igitur, ô fili, personas Ecclesiasticas, & serva pacem earum quantum poteris.*

6. Quod spectat ad personas, peccatur à Judicibus sæcularibus in tritam illam Jurisconsultorum regulam; *actor sequitur formam Rei*, cùm in actionibus, quas personales vocant, idest, quæ in personam diriguntur, non in rem aliquam temporalem, Viros Deo consecratos, quantacumque dignitate præfulgeant, ad sua Tribunalia trahunt. Itaque qui se sacrorum Canonum Custodes esse gloriantur, Canones, Clericos, & Regulares à foro sæculari arcentes, ita non servant, ut nullius alterius conditionis hominum major ibi copia videatur; quod in Clerum & in Religiosos Ordines relaxationem, & sæcularium morum colluviem inducit, & maximum sacris Deï Ministris, & famulis contemptum conciliat.

7. Qua in re tantùm abest, ut dignitatis Episcopalis Christianis omnibus tantoperè reverendæ, atque ab antiquis Gallis tanto in honore habitæ, rationem habeant; ut in hoc suam eminere dignitatem arbitrentur, si Episcopos pro rebus etiam Divinis, & Ecclesiasticis, ad se venire compellant. Undè in aliquibus Senatibus pertinaciter retinetur, quantumvis refragantibus Edictis Regiis, usus vocandorum in iudicium Episcoporum ipsorum, non admissis Procuratoribus Fiscalibus, quos illic Promotores vocant, etiam si de ordinationibus vel sententiis mota sit controversia, quam Præsules, ut Judices tantùm, cùm sua ipsorum nihil interesset, pro sui officii munere tulerunt.



*De vi appellationum ab abusu, quantum ad conscientiam.*

1. **C**ertissimum est non habere Judices sæculares claves Ecclesiæ, ut in foro, vel interno, vel externo ligare possint, aut solvere; idest, à peccatis, & censuris absolvere, vel illis innodare, jurisdictionem, aut missionem spiritua- lem conferre, vel auferre. Id de fide est, nec inter Catho- licos probatione indiget. Undè necessariò consequitur nulla Principum Edicta, nulla Curiarum sæcularium placita posse quemquam ab excommunicatione, aut aliâ censurâ, vel ir- regularitate, vel peccato liberare; nulli Parocho, vel alteri Sacerdoti, aut Clerico validam, ad prædicandum missionem, ad Pœnitentiam, vel alia Sacramenta ministranda, juris- dictionem conferre. Possunt quidem Senatores declarare, non esse aliquem excommunicatum, irregularem, vel alicujus criminis reum; sed hujusmodi declarationibus, cum à non habentibus potestatem prodeant, ab excommunicatione, ir- regularitate, vel peccato neminem possunt eximere. Quid igitur, si fallantur Judices? Num eorum sententia excom- municatum participationi suffragiorum, aliorumque bono- rum Ecclesiæ communicationi restituet? Num irregularem ad sacra ministeria idoneum præstabit? Num absolutionibus ab invasore curæ animarum dandis vim tribuet? Num ab incur- renda Dei offensa tuebitur? Num etiam titulum coloratum præstabit.

2. Sed cum multæ sint tum antiquis, tum recentibus Ca- nonibus, & Decretis, latæ censuræ adversus eos, qui Ec- clesiasticam jurisdictionem violant; num eas effugient, aut Judices causas spirituales, & sacras ad sua Tribunalia evocan- tes, aut partes illuc eas perferentes? Num bona fides utro- que à peccato, & censuris excusabit? Equidem bona illa fides in ignorantia fundari non potest. Ut enim à Judicibus inci- piamus, aut ipsi Canones ignorant; ac sic temeritatis rei sunt, cum rebus Ecclesiasticis, quæ Canonibus regendæ sunt, se

im-



immiscent. Si Canones norunt, sciunt quàm arctè ab iis Ecclesiasticæ jurisdictionis usurpatio prohibeatur, quibusque pœnis spiritualibus plectatur. Sed cùm appellationibus ab abusu propositus dicatur is scopus, ut antiqui Canones feruntur; æquius est, ut Judicibus, qui se defensores dicunt Canonum, perspectos illos esse sentiamus. Ergò ignorantia, & quæ illam supponere videtur, bona fides illis minimè suffragatur, si aliud tentent, quàm ut jurisdictionem laicam, idest, civilem, seu circa res temporales, & profanas tueantur; nisi denique quatenùs sibi ex jure, velex privilegio certo competit. Complerent integrum volumen Constitutiones Ecclesiæ adversùs violantes suam jurisdictionem, quas nescio quomodò contemnere audeant, qui Ecclesiam Matrem habere se profitentur, aut quomodò qui audent, censuras in eis contentas evadant.

3. Metuunt illas Judices, qui deprimendorum Episcoporum, aliorumque Judicum Ecclesiasticorum, & extollendæ propriæ autoritatis ambitione, vel lucri, aut alterius commodi cupiditate non tenentur, nec Ecclesiæ tanquam sibi subditæ dominari, sed ut Matri obedire student. Justum esse illum timorem docuerunt etiam Scriptores laici, antequam illi, quibus Ecclesiastica negotia plus afferunt utilitatis, quàm profana, Ecclesiasticam jurisdictionem ad forum sæculare omninò evocare statuisent. Aufrelius in Senatu Tolosano Præses, in additione ad repetitionem Clementinæ primæ de offic. ordin. Reg. 2. num. 30. fatetur, ut supra vidimus, se sæpè dubitasse, ubi fundari possent in jure appellationes ab abusu, & ad sua usque tempora, idest, circa annum 1514. Judices à jure super meritis causarum per appellationem tanquam ab abusu ad se delatarum dicendo, semper abstinuisse, nisi unicà tantùm vice. Perfracta sunt Religiosi illius timoris repagula, & nescio quo poterit aggere præcipitis torrentis impetus cohiberi, quandoquidem nec primis æquitatis principis, nec censuris Ecclesiasticis sistitur.

4. Evenit maxima ex parte, quod prædixerat Cosmas Guymier in Senatu Parisiensi Consiliarius, & Inquisitionum Præses in præf. prag. Sanct. §. *Cum itaque in verb. libertatis.* Ubi postquam statuta, & consuetudines contra Ecclesiasticam liber-

tatem



768 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
tatem esse nullas, utriusque juris autoritate comprobavit;  
postquam huiusmodi statuta servantur, aut servari facientes,  
itemque turbantes, seu impediens jurisdictionem Eccle-  
siasticam per se, vel per alios, directe, vel per obliquum,  
& ad illud, auxilium, consilium, vel favorem dantes, in ex-  
communicationem incidere ostendit; notavitque post Joannem  
Andr. & Panorm. infinitos Judices, seu Rectores huius-  
modi censurâ esse Ligatos, ob diminutam, & subtractam  
jurisdictionem Ecclesiasticam, subjungit; CVM AVTEM  
REX FRANCIE SIT PVGIL ECCLESIE, ET INTER OMNES  
CHRISTIANOS CHRISTIANISSIMVS, DEBET CVSTODIRE IV-  
RISDICTIONES, ET LIBERTATES ECCLESIASTICAS: SED  
OFFICIARIJ EIVS IN MVLTIS HODIE TVRBANT ECCLE-  
SIAM IN PREDICTIS: ITA QVOD, NISI DEVS PROVIDEAT,  
TANDEM IVRISDICTIO, ET LIBERTATES ECCLESIE EVA-  
NESCENT, SICVT TEMPORE PHILIPPI REGIS DE VALE-  
SIO, PETRVS DE CVNERIIS PVTAUIT AVFERRE IVRISDI-  
CTIONEM TEMPORALEM ECCLESIE.

5. Qui egregias huic Guymierii Glossæ notas addidit Phi-  
lippus Probus, suum contra illata Ecclesiasticæ jurisdictioni  
damna zelum significat; his Guymierii verbis; *Officiarii eius in  
multis hodie turbant Ecclesiam in predictis, addens; A quibus adhuc non de-  
sistunt, adeo quod Judices Ecclesiastici nihil aut parum habent in jurisdic-  
tionis exercitio: quia illud frustatim per Judices laicos fuit laceratum, & usur-  
patum, ut patet experientia rerum Magistrâ. Vide ibi sequentia.*

6. Si Gallicani Judices Theologos, & juris Canonici in-  
terpretes suspectos habent, eorumque sententiam super hac  
quæstione contemnunt, quasi in propria causa loquantur,  
aut propriis commodis studeant; audiant Senatuum suorum  
Præsides; audiant Jurisconsultos æqui justique retinentes,  
& sinceros: magisque hac in parte se, quam Ecclesiasticos  
viros suspectos existiment, cum isti de tuenda, illi de am-  
plianda jurisdictione certent.

7. Petrus Rebuffus supremarum Curiarum privilegia re-  
censens super procemio Concordatorum, ver. *summas, octavum*  
*istud assignat; Octavo cognoscit de abusu Judicum Ecclesiasticorum, &*  
*alius Judex non potest cognoscere, ut in Concord. in Rub. de procec. Con-*  
*cord. . . . . Et hoc quatenus ei à jure conceditur, vel ex privilegio, ut ple-*  
*nè*



nitiis dixi in ordinationibus Regiis, non alias, ut est textus in ea. si quis à proprio. & ca. si quis Episcopus 21. quest. 5. ALIOQVI, ET IS ABVSVS MVLTOS DEDVCET AD INFEROS. Non exciderunt hæc verba Rebuffo incogitanti, aut materiam Ecclesiasticam tantum præ manibus habenti, quandoquidem eam ex professo tractans super ipsammet Rubricam Constitutionum Regiarum, quæ est de appellationibus ab abusu, idque Parisiis in scholis publicis, ne quis putet opinionem esse privati hominis, quam proferre non ausit nisi in scriptis sine examine vulgatis, disertè docuit, ut ipsemet hic confirmat, Judices sæculares eam auctoritatem non nisi ex jure, vel privilegio sibi posse vendicare.

8. Quæ de Judicibus dicta sunt, in partibus etiam locum habent cum proportionem. Ejusmodi enim plerumque sunt, ut sciant, aut saltem teneantur, & facile possint scire, quæ à sacris Canonibus statuta sunt adversus eos, qui Ecclesiasticam jurisdictionem usurpant, aut ad eam usurpandam juvant. Minor tamen est istorum culpa, cum non propriâ sponte Tribunalia sæcularia pro rebus spiritualibus, & Ecclesiasticis appellant; sed ad ea inviti pertrahuntur, causæ alioquin justæ, ac gravissimi momenti jacturam perpessuri: sed quod omninò nulla culpa sit, definire quis audeat? Licet id aliqui præsumant ex benignitate Ecclesiæ, quæ sicut contumaces graviter plectere solet, ita & illis indulgere, qui sua præcepta non nisi magnâ necessitate compulsi prætermittunt: res tamen admodum incerta mihi videtur.

## C A P U T V.

*Discutiuntur rationes, quibus appellationes ab abusu legitimas esse Autores Gallicani probare nituntur.*

1. Causas Ecclesiasticas à sæcularibus Judicibus definendas non esse aded perspicuum est, ut id fateantur ultro, qui appellationes ab abusu legitimas esse affirmant; sed eum usum variis modis excusare conantur. Primò, quod Rex sit Canonum custos. Secundò, quod subditos suos à vi, ser-

Eccce

vitu-



770 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
vitate, ac oppressione tueri possit, & teneatur. Tertio,  
quod scandala, quæ ab injustis sententiis, aut Decretis oriun-  
tur, à Principe compefcenda sint. Quarto, quod Canonès  
sæpè legibus confirmati fuerint, adeoque Principes propria-  
rum legum, perinde atque Canonum infractionem ulciscan-  
tur. Quintò, quod jus naturale injuriam à se, atque ab aliis  
arcere permittat. Sextò, quod Ecclesia partim expressè, par-  
tim tacitè illi usui consentiat. Exceptâ istâ ultimâ ratione,  
reliquæ omnes unicâ responsione videntur elidi.

2. Si enim Principes, ac Judices sæculares nullo casu pu-  
tant Ecclesiam causas ad sæcularem jurisdictionem pertinentes  
ad Ecclesiastica Tribunalia evocare posse; quâ æquitate illi  
causas Ecclesiasticas ad forum sæculare per appellationes ab  
abusu pertrahunt? Nonne Ecclesia, ut leges, ac mandata  
Principum à fidelibus observentur, censuras adhibet? Num  
autem negotiorum sæcularium cognitio permittitur Judicibus  
Ecclesiasticis, dum censurarum imploratur auxilium, ad de-  
tegendam v. g. rei veritatem? Quomodò igitur prætextu  
custodiæ Canonum, causarum Ecclesiasticarum judicium sibi  
laici tribuunt? Illustrissimus Petrus de Marca lib. 4. cap. 12.  
§. 4. varia profert exempla, ex quibus patet solitos olim  
Principes ad Ecclesiam recurrere, ut ejus ope debitam sibi  
fidem, & obsequium à suis subditis obtinerent. *Exempla, in-  
quit, petere licet è Synodo apud Lauriacum habitâ an. 843. relatâ in Syno-  
do Meldensi, & apud Ivonem, qua eos, qui contra regiam Dignitatem ali-  
quid machinantur, vel potestati regia per summam contumaciam non obtempe-  
rant, Anathemate plectendos decernit. Inde Synodus Suefionensis an. 866. ro-  
gat Nicolaum I. ut Salomonem Britannia Ducem moneat, quò Domino suo Ca-  
rolo Regium obsequium præstet, annuosque census persolvat; alioqui gladio  
Apostolatus vestri se percellendum debito cognoscat libranine. Ludovicus Ultra-  
marinus Rex Francorum ab Hugone Comite vexatus subsidium postulat à Synodo  
Engelenheimensi, ubi aderat Legatus Romani Pontificis, & Otto Imperator  
an. 948. &c. Si quis hodiè ob illa exempla contenderet, in  
foris Ecclesiasticis ejusmodi causas esse tractandas, partibus  
auditis, & eodem ordine, quo appellationes ab abusu apud  
Judices sæculares, ceu insanus haberetur. Et tamen infontes  
videntur Judices Laici, qui spiritualia, & sacra quæque ne-  
gotia ad se trahunt, ac juridicè definiunt; quia abusus vocem  
obten-*



obtendunt; quasi potestates sæculares non solum autoritate sua nunquam abutantur, aut earum abusus corrigere nefas sit; sed etiam ad Pastorum Ecclesiasticorum abusus emendandos, à Deo sint præpositæ.

3. Præterea, num Principes sæculares rariùs quàm Ecclesiastici proprios subditos opprimunt, aut Ecclesia de ope, filiis suis injustè vexatis, minùs debet esse sollicita, quàm Reges de Regnicolis ab injuriis vindicandis? Nonne etiam ab injustis Principum mandatis oriri possunt scandala, vel illis moveri non debent Apostolorum successores, qui à S. Paulo ita se habere didicerunt, ut verè dicere queant; *Quis scandalizatur, & ego non iror?* Quid quod leges Canonibus confirmantur; & tamen occasione violatorum etiam Canonum, Ecclesia de possessionibus terrenis, aliisque rebus merè temporalibus, liberè judicare non finitur? Cur soli Ecclesiæ nefas sit non solum sua jura, sed etiam fidelium bona, & libertatem, dum iis injustè spoliantur, propugnare? An jus illud naturale Principibus temporalibus, non autem superioribus Ecclesiasticis concessum est.

4. Evenire sanè potest; imò ut non eveniat fieri vix potest, ut Superiores Ecclesiastici aliqui aliquando sua abutantur potestate: Sed contingit frequentius, ut Principes & Magistratus sæculares ultra modum suos subditos præmant. Nonne ergo æquius esset, ut Pastoribus Ecclesiæ, præsertim Summo, liceret, & Principum conscientiæ, & subditorum quieti, quæ cum animarum salute sæpe conjuncta est, prospicere; quàm ut Principes superiorum Ecclesiasticorum abusus, qui circa formulas à jure positivo inductas, aut fortè circa reddituum temporalium, aut beneficiorum dispensationem versantur, possent autoritate suâ corrigere? Præsertim cum prætextu illius correctionis majores abusus aut foveantur, aut inducantur. Difficillimum, ac ferè impossibile est, ut præcaveantur, aut emendentur omnia incommoda. Si autem volunt Galli reverendam esse tantummodò Divinæ providentiæ dispensationem, quæ supremam Regibus potestatem contulit, cum illi malè in administratione rerum temporalium se habent; cur idem de potestate Ecclesiastica non sentiunt? Cur utraque in alteram monitionibus tantum non



772 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
agit? si utriusque distincta sunt officia, & discreti limites,  
ut non debeat alterius altera fines ingredi; ne, dum in alie-  
rius Provinciâ ordinem constituere satagit, & suam, & alie-  
nam perturbet. Cur Deo non reliquitur, ut in hoc mun-  
do, vel saltem in futuro præpositorum à se constitutorum  
delicta emendet? Tu quis es, qui iudicet alienum servum? Dominus  
suo stat, aut cadit. Ad Rom. 14. Humanum dico propter in-  
firmitatem.

5. Cùm enim corpus propter animam, non anima propter  
corpus à Deo creata sit; cum temporalia, & corporalia or-  
dinata sint ad spiritualia, & æterna; convenientius est, ut  
illi, quibus ex Divina dispensatione concedita est spiritua-  
lis, & æterna salus fidelium, curam suam ad temporalia pro-  
tendant, quàm ut qui temporalibus præpositi sunt, ad spi-  
ritualia manum porrigant; maximè cum, ut diximus, abu-  
sus circa temporalia, magistratuum, ac etiam sæpe subdito-  
rum conscientias illaqueant. Quâ ergo ratione potestas spi-  
ritualis eodem jure in rebus sacris, quo temporalis in profa-  
nis frui permittitur, & plus Principibus in Ecclesia circa spi-  
ritualia, quàm Ecclesiæ in Principes circa temporalia tribui-  
tur? sed, ut redeamus ad illa, quæ in favorem appellatio-  
num ab abusu allegantur.

6. Primò, Rex Canonum Custos est, at non Conditor;  
Executor, non Judex, ut notat Facundus Hermianensis de  
Imperatore Marciano verba faciens; *Cognovit ille (Marcianus)*  
*quibus in causis uteretur Principis potestate, & in quibus exhiberet obedientiam*  
*Christiani. Et ideo ne impius, atque sacrilegus videretur post tot Sacerdotum*  
*sententiam, opinionem sua nihil reliquit. . . . Multo magis impune sibi cedere*  
*non posse cognovit, vel qua jam de fide Christianâ ritè fuerant constituta disci-*  
*tere, quod nullatenus licet, vel NOVOS CONSTITVERE CANONES,*  
*quod non nisi multis, & in unum congregatis primi ordinis Sacerdotibus licet.*  
*Ob hoc itaque vir temperans, & suo contemus officio, Ecclesiarum CA-*  
*NONVM EXECUTOR ESSE VOLUIT, NON CONDITOR, NON*  
*EXACTOR. Facund. Hermian. defens. lib. 12. cap. 3. Judi-*  
*care superioris est: Principes igitur Canonibus obsequi te-*  
*nentur, de illis judicare non possunt; illorum interpretes*  
*non sunt; sed ejus est legem interpretari, cujus est &*  
*condere.*

7. Sc-



7. Secundò, tueantur Reges suos subditos, quando vim, & injuriam patiuntur; sed debito modo. Non autem v. g. cum illi, quibus id muneris incumbit ex ordinatione Divina, remedium opportunum afferre non recusant: cum non est manifesta injuria, &c. Sed Principes parem saltem fateantur facultatem Pontificibus competere, cum fideles evidenti fuerint iniquitate à Laicis oppressi, non sine certo ipsorum æternæ damnationis periculo.

8. Tertiò, quantum damnandi sunt, qui scandala concitant, de quibus pronunciant Divina Oracula, satius esse, ut alligatâ collo molâ demergerentur in profundum maris Matt. 18: tantum laudandi sunt, qui scandala conpescunt, atque ad id traditâ sibi Divinitus potestate utuntur. Verum amaro, si quid instabat scandali, cædis videlicet, seditio- nis, & hujusmodi, periculo, causæ judicium Judici com- petenti relinquatur. Certè qui rixantes videt, potest, & debet propter imminens, & inevitabile periculum à mutua injuria, quantum valet, impedire, non tamen illius rei, cujus causâ rixabantur, judicium sibi vindicare, aut inju- riam inferentem plectere, nisi sit legitimus ejus superior.

9. Quartò, si res sit ejusmodi ut partim Canonibus, par- tim legibus regi debeat, unaquæque potestas jure suo libe- rè utatur. At, si leges in adjutorium tantum Canonum in- vocatæ sint, nonne jus violatur, si, quæ Adjutrices vene- runt, dominari velint?

10. Quintò, ex jure naturali licet manifestam injuriam, & à se, & ab aliis amovere, recurrendo scilicet ad Judices, & Superiores à Deo constitutos, non autem autoritate pri- vatâ vel extrancâ, præsertim dum non desunt media ordina- riæ, & regularia; ut vix, aut nunquam in Ecclesiastico re- gimine desunt.

11. Sextò, testantur orationes Cleri Gallicani tom. 5. ejus actorum, aliæque innumera monumenta, Antistites Gallica- nos appellationibus ab abusu pro viribus semper restitisse; & nos penitus eas abolere posse desperarunt, usum moderatè conatos esse: nec eas minùs, imò multò magis improbat Ecclesia Romana, ut ironicè loqui videantur, qui expres- sum, vel etiam tacitum ejus consensum adducunt in illarum



M. C.  
Libertatibus  
Eccle. Gallic.  
GIII  
231

774 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
defensionem. Et hæ quidem præcipuæ rationes sunt, quibus  
à Gallicanis Scriptoribus excusantur appellationes ab abusu.  
Sed, ne quod nos alicujus momenti argumentum effugerit,  
expendenda sunt paulò accuratius, quæ à præcipuis illarum  
defensoribus dicta sunt, scilicet à D. Petro de Marca, & à  
Carolo Fevreto.

C A P U T VI.

*Expenditur doctrina D. Petri de Marca de appellationibus ab abusu in 19. cap. libri 4. de Concordiâ Sacerdotii & Imperii contenta.*

1. **I**N tribus ultimis libri 4. capitibus ex professo, alibi tantum ex occasione, de appellationibus ab abusu disputat D. Petrus de Marca; idcirco paulò diligentius istorum doctrina examinanda est. Cap. 19. §. 2. scribit, ex Concordatis inter Leonem X. Pontificem, & Franciscum I. Regem Francorum initis, Senatus officium adversus eorum violationem implorari solitum per appellationes ab abusu; eò quòd Pontifex Canonum, atque Decretorum in illis Concordatis renovatorum tuitionem, consensu quoque suo, & Apostolicæ Sedis autoritate adhibitâ, Regibus Francorum permisisset: Franciscus autem Rex eam curam Parliamentorum Curii demandasset. Sed, nè hujusmodi appellationibus novitas, quâ nihil est libertatum Ecclesiæ Gallicanæ Dignitati infestius, objiceretur, §. 3. *Abusus* dictionem in foro antea incognitam non fuisse contendit. Vocem quidem illam Concordatis antiquiorem esse quis dubitat? Res enim per illam propriè significata vetustissima est: sed prout vox illa designandis appellationibus, de quibus agimus, est accommodata, non admodum vetusta est, sicut nec ipsum ejus significatum. Usurpata est etiam à Laicis contra Ecclesiasticos ad denotandum indebitum potestatis usum, sed non semper verè ac justè.

2. Durandus enim Mimatenfis, v. g. cujus autoritas primo loco adducitur, scilicet, ex tractatu de modo Concilia  
genc-



generalia celebrandi rubric. 70. monuit sæculares Judices solitos suo tempore, Judices Ecclesiasticos de turbata jurisdictione conquerentes repellere hac exceptione; *quod eorum actus essent abusus*. Sed justam, ac veram non fuisse illam excusationem comprobavit examen aliquot post annis factum coram Philippo Rege Francorum, hinc Bertrando Episcopo Augustodunensi Ecclesiasticam, illinc Petro de Cumeriis Procuratore Regio Laicam jurisdictionem defendentibus, ut in actis legitur typis pluries excusis, & à Patribus Philippo Labbe, & Joanne Cossart to. 11. Concil. part. 2. insertis, & in Bibliotheca Patrum tom. 13. edit. Col.

3. Antiquiorem ut supra notavimus postremo sæculo appellationem ab abusu non affert Marca: & quam tunc temporis interjectam dicit §. 4. præterquam quod ignoratur, an, qui interposuerat, prosecutus sit, recenter editi partus speciem præferret. Adhuc enim vacillat. Appellatur à *Procuratore Capituli Parisiensis* contra decimam ab Alexandro VI. inductam ad Papam melius consultum, Synodum universalem, Regem Christianissimum, supremam Parlamenti Curiam, ac ad illam, vel illos, ad quem, vel quos de jure, vel consuetudine in hac parte provocare, & appellare licet. Hæc appellationis forma indicare videtur non posse ad Regem, vel ad Senatum deferri appellationem, nisi ad summum post judicium Papæ melius consulti, & post sententiam Synodi universalis, & propter illorum defectum, aut manifestissimam injustitiam. Non enim potest in omnibus illis Tribunalibus simul tractari negotium. Nec tot Judices appellari videntur, nisi quia dubitatur quisnam sit adeundus: vel potius an Rex, & Parlamenti Curia sint ex illis, ad quos de jure, vel consuetudine in hac parte provocare & appellare liceat. Et fortasse comminatio erat potius quam vera appellatio, ut Papa metuens, ne Ecclesiasticum negotium ad Tribunal sæculare deferretur, atque ita jurisdictio Ecclesiæ detrimentum pateretur, onus Clero impositum minueret.

4. Paragraphi quinti notatu digna sunt hæc verba; *Simplicem, & meram appellationem à Curia Ecclesiastica, ad Curiam Regiam in Gallia nunquam admissam fuisse fatentur Petrus de Cumeriis ( insignis jurisdictionis Ecclesiasticæ æmulus ) art. 14. Masuerius tit. de appel. §.*



22. & Joannes Galli quest. 161. Illi enim Autores generatim negant à Judice Ecclesiastico ad sæcularem appellationem admitti, quantumvis eos Marca de appellatione tantum simpliciter, non de illa, quæ tanquam ab abusu nuncupatur, intelligendos velit. Nullus, inquit Petrus de Cuneris art. 14. à Curia Prelatorum appellat ad Curiam Regiam. Ac revera in lib. inscripto; Stylus Curia Parlamenti Parisiensis, licet prolixus sit titulus de appellationibus, nulla reperitur neque simplex, neque tanquam ab abusu à Judicibus Ecclesiasticis ad sæculares. Masuerius non solum testatur de facto, sed etiam de jure. A Judice Ecclesiastico, inquit tit. de appel. §. 22. non est appellandum ad Judicem sæcularem. Joannes Galli Advocatus Regius, qui Placita Senatus Parisiensis usque ad an. 1414. per quæstiones digessit; idem variis Senatus-consultis probat. Fuit, inquit quæst. 161. ante longum tempus dictum per Arrestum, Dominum Joannem Lappostole non esse, ut appellanti recipiendum, ab Officiali Curia Ecclesiastica Lingonensis ad Parlamentum; quia Curia Ecclesiastica non resortitur ad temporalem. Item fuit pariter dictum contra Dominum Guillelmum Creveil, qui ab Officiali Curia Ecclesiastica Capituli Lingonensis appellaverat ad Parlamentum.

5. Cùm videret autem Marca illarum appellationum injustitiam, variis eas limitationibus temperare conatus est. Nam v. g. §. 4. circa verba Procuratoris Capituli Parisiensis supra relata istud animadvertit. Quæ verba, inquit, observanda sunt, ut inde pateat in hoc casu appellationem ad Regem subsidiariam esse appellationi ad Concilium; in hac enim de iniquitate, in altera de abusu tantum disceptari potest: & unius subsidio jurabantur appellantes, dum alterius præsidium expectabatur. Ergò non nisi provisionaliter res determinandæ essent per appellationes ab abusu, nec de ipsa sententiæ Ecclesiasticæ iniquitate judicandum, sed sistendus abusus interim, dum Concilium jus diceret. Alias infrà limitationes adhibebit, quæ tamen, ut videbimus, nec observantur, nec observatæ possent omnino usum illum excusare.

6. In eodem paragrapho 5. appellationum ab abusu frequentiam induxisse ait Theologorum Parisiensium, præcipueque Gerfonii, sententiam. Quanta esset tempore Gerfonii in Ecclesia confusio; quantus clavium à Pontificibus, seu Pseudopontificibus abusus, nemo ignorat. Undè nihil mirum est, si & Gerfonius, & alii quidam Theologi Parisienses intolerabi-



rabiles illorum excessus, præsertim cum contraria præciperent, & unusquisque sibi obtemperari sub frequentibus censuris præciperet, repelli posse docuerint: licet autem Gersonius parvulum istum tractatum de materia excommunicationum, & irregularitatum, quem citat Marca, fortasse post finitum schisma scripserit, cum in eo Concilii Constantiensis mentionem faciat, plurima tamen profert, quæ animum adhuc exasperatum, atque indignatione in abusus, quorum testis exstiterat, commotum indicant. Cujusmodi fuerint abusus significat his verbis confid. 9. & aliis; *Contemptus clavium non incurretur in multis casibus, quibus Papa mandato non obediretur. DVM SCILICET ABVTITVR ENORMISSIME, ET SCANDALOSISSIME POTESTATE SVA IN DESTRUCTIONEM, NON IN ÆDIFICATIONEM.*

7. Quàm autem longè absit Gersonii sententia ab effusa illa appellationum ab abusu frequentia, quæ Galliam hodie inundant, patebit attentè legenti verba prædicta, & illa ipsa, quæ refert Marca ex confid. 10. *Contemptus clavium non semper invenitur (invenitur certè quàm sæpissimè) apud illos, qui ne dum non obediunt sententiis excommunicationum pronulgatis per Pontificem (qualis erat Benedictus XIII. qui Reges, & Regnum Franciæ censuris supposuit, eò quod sibi, concordiam recusanti, obedientiam substraxissent) vel suos, qui per potestatem secularem adversus tales præsentas sententias tueri se procrant. Lex enim naturalis dicitur, ut possit vis vi repelli. Sed hoc aliud omninò est ab appellatione, quæ causæ cognitionem requirit, quantumvis prætendant Judices, se de abusu, non de iniquitate cognoscere. Gersonius enim supponit, evidentissimam esse censurarum injustitiam, ut non inquirendum sit, an Pontifex abutatur suâ potestate; sed quomodò quis possit ejus injuriam evadere. Subjungit enim; *Constat autem, quod tales excommunicationes, non debent dici jus, sed vis & violentia, contra quam fas habet liber homo, vel animus se tueri.* Adde quod, si Gersonii dictis standum est, possunt Laici adversus injurias sibi à Rege factas Pontificem adire, quod Regii Ministri ceu crimen læsæ Majestatis æstimant. Etenim in isto etiam casu locum habet ratio Gersonii; *Lex naturalis dicitur, ut possit vis vi repelli: ac præterea docet idem Doctor loco alibi exscripto, licere non solum Communitati, sed etiam**

F f f f f                      pri-



778 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
privatis adversus Principis, alioquin legitimè dominium ob-  
tinentis, tyrannicum regimen sese defendere: quis autem  
justior, & modestior modus se defendendi, quàm ut appel-  
letur Pater communis omnium Christianorum, & Pastor, cui  
tenentur etiam ipsi Reges parere, si inter Christi oves cense-  
ri volunt?

8. Quæ sit appellationum ab abusu justitia, satis intelli-  
gitur ex eo quod, cum earum usus inductus est, nec ipsi Judi-  
ces Regii, ad quos deferebantur, quo jure niterentur, per-  
spicere poterant: & cum rationes inquirere studuerunt,  
ejusmodi protulerunt, quas nec alii probarunt appellatio-  
num illarum Patroni. Quas Stephanus Auferrius, cujus su-  
prà meminimus, adducit, adeò debiles sensit Petrus de Mar-  
ca, ut de illis ita loquatur §. 6. *Sane fatendum est pleraque ab Au-  
ferrio laudata testimonia longius esse petita; quamvis aliqua huic disceptationi  
inservire possint. Non designat Marca, quænam sint illa testimonia,  
quæ inservire possint. Sed quantum sit illorum pondus abundè  
cognoscet ex eo, quod immediatè subdit; Præcipuum autem illud,  
in quo causæ fundamentum ponebant. . . . . non adeò urget ac primà fron-  
tè videtur, &c. Cur timeantur alia, cum præcipua, ipsi etiam  
Adversarii parvi faciant? Concludit Marca; Quare non miran-  
dum est, si Rebuffus, qui sola hac testimonia expenderit, iniquius se gerat  
erga istas appellationes, quas nimis angustis finibus coercet, scilicet iis casu-  
bus, in quibus Rex jurisdictionem habet delegatam à Papa, vel à Canone,  
ut in tuenda fide, vel Ecclesia, si oppugnetur, & in casibus à jure expressis.  
Hic ad marginem monemur consulere secundam præfatio-  
nem Marcæ §. 13. Ibi autem Marca Rebuffum interpretatur,  
quasi delegationem expressam, & non tacitam dumtaxat,  
exigeret. Itaque, si deficit etiam tacita, locum habebit Rebuffi  
sententia.*

9. At tacitam Summi Pontificis, aut Canonis delegatio-  
nem, seu Ecclesiæ consensum non deesse probat §. 7. tum ex  
eo quod Concordatorum tuitio, quæ majoris est momenti,  
Regibus commissa sit; tum quod non sint inviti Episcopi,  
nec de re, sed de excessu conquerantur; tum denique quod  
tamdiu siluerit Curia Romana. *Ex præsumpta mente Summi Pontifi-  
cis semper Gallicana Ecclesia persuasum fuit, in cæteris etiam articulis (sci-  
licet ultra contentos in Concordatis) eam tuitioem extraordina-  
riam,*

M. C.

De  
Libertatibus  
Ecclesie Gallicane

III  
231



nam, quæ in Gallia ante Concordatarum publicationem vigeat, à Summis Pontificibus tacite fuisse concessam; cum in rebus majoris persæpe momenti, quæ Concordatis continentur, præfatum Regium ad Decreta custodienda impendi gratissimum haberint. Quæ Summorum Pontificum consensu inde etiam probari potest, quod ab aliquot sæculis cum appellationum istarum usus frequenter in Gallia (non invitis Episcopis, qui modum quendam illis præscribi, non autem rem ipsam aboleri aliquoties postularunt) à Romana Curia nihil profectum sit, quo ingratam sibi esse fore tritum illam significaret.

10. Verùm ex Concordatis argumentum validissimum desumitur contra prætensum sanctæ Sedis tacitum consensum circa appellationes ab abusu. Ibi enim Summus Pontifex expressè declarat se alios usus præter contentos in Concordatis, si qui sint sanctæ Sedis, & Ecclesiæ juribus contrarii (quales esse ostendimus illas appellationes) non intendere approbare. Et cum omnium (verba sunt Leonis X. in Concord. tit. 33. qui est de perpetua stabilitate Concordatarum) quæ in Regno, Delphinatu, & Comitatu prædictis agantur, notitiam non habeamus, consuetudines, statuta, seu usus libertati Ecclesiastica, & auctoritati Sedis Apostolicæ quomodolibet præjudicantia, si quæ in Regno, Delphinatu, & Comitatu prædictis, alijs quam in præmissis, existant, non intendimus nobis, & eidem Sedi in aliquo præjudicare, seu illa tacite vel expressè quomodolibet approbare. Vide an meritò ex præsumpta mente summi Pontificis semper Gallis persuasum fuerit, in cæteris etiam articulis (ultra contentos in Concordatis) eam tuitionem extraordinariam à Summis Pontificibus tacite fuisse concessam. Nonne potiùs expressa declaratio eliminat omnem taciti consensus præsumptionem. Testatur præterea Constitutio singulis annis in die Cœnæ Domini publicari solita, & aliæ innumeræ, quantum aliena sit sancta Sedes à consentiendo usibus Ecclesiasticæ jurisdictioni tam infestis.

11. Testantur acta Cleri Gallicani, & nominatim Tractatus de Ecclesiastica jurisdictione alibi laudatus, & tomo I. actorum Cleri Gallicani insertus, an Episcopi jurisdictionem suam per hujusmodi appellationes extinguere gratum habeant; an verò ex desperatione tantùm abolendi usus sibi tam perniciosi, modum ei adhiberi postularint. Ex his autem inferent Prælati Ecclesiastici, quantum interfit jurium Ecclesiæ violationi, & quàm primùm, & quàm fortiter obistere, cum in rebus capitalissimis, quæque nullâ solidâ ratione nituntur, re-



780 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
sistentia non satis generosa (nedum silentium) accipiatur pro  
consensu; ut jam non de revocando, sed de minuendo ma-  
lo deliberandum sit, ac pro magno favore habeatur, si per-  
niciosiores circumstantiæ refecerent. Inferent similiter, quàm  
periculosum sit ab iis opem emendicare, qui alienam domina-  
tionem excludunt, sed ità ut ipsi durius dominantur. Sa-  
pientissimè statuerunt Summi Pontifices, ut Laicorum leges  
circa res Ecclesiasticas sine assensu Ecclesiæ nullà vi polle-  
rent, etiamsi viderentur utiles. *A quibus (Laicis) inquit In-  
nocentius III. cap. Ecclesia de Constitut. si quid motu proprio sta-  
tutum fuerit, quod Ecclesiarum etiam respiciat commodum, & favorem,  
nullius firmitatis existit, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum.* Minus enim  
est illud commodum, quàm damnum usurpatæ à Laicis in  
Ecclesia jurisdictionis; præsertim quia ubi semel Ecclesiasti-  
carum rerum arbitrium prætextu procurandæ utilitatis Ec-  
clesiasticæ ad se traxerint, si decernant injusta, respui vix  
poterunt ob dissimulatam judicandi possessionem. Nam ut ait  
Nicolaus I. epist. 47. quæ est ad Hincmarum Archiepiscopum  
Remensem, & refertur in Concilio. Suesion. 3. *Mala  
consuetudo, qua non minus, quàm perniciosa corruptela vitanda est, nisi citius  
radicitus evellatur, in privilegiorum jus ab improbis assumitur, & incipiunt  
pravariationes, & varia præsumptiones celerrimè non compressa pro legibus ve-  
nerari, & privilegiorum more perpetuò celebrari.*

## C A P U T V I I .

*Discussio capituli 2. libri 4. D. Petri de Marca, ubi adhuc  
de appellationibus ab abusu.*

1. **P**ericulosam rem tentat Marca hoc cap. 2. §. 1. dum quo-  
rum Canonum violatio appellationibus ab abusu locum  
præbeat, determinare aggreditur. Quoscumque limites præ-  
figat, ulterius excurratur. Satiùs erat, quandoquidem juris-  
dictionis Regiæ partes susceperat, indiscussam illam quæstio-  
nem prætermittere, ne, cum novæ usurpationes ad capita ab  
eo assignanda revocari non possent, earum injustitia faciliùs de-  
prehenderetur. Nam v. g. verum est, ut ipse dicit, *Edicto lato*  
anno



anno 1619. de causis merè spiritualibus, & de sacramentorum administratione cognitionem prohibitam esse Curii supremis, etiam harum appellationum preteritu. Sed praxim Edicto contrariam esse docent non solum Jacobus Duhamel Autore antiquior, sed etiam Fevretus recentior, quos supra retulimus, & recentia Decreta Curiarum sæcularium. Quod ait non provocari à concessione, sed ab executione Rescriptorum Pontificiorum, appellari autem ab ipsismet judiciis Episcoporum, reverentiæ quidem erga sanctam Sedem speciem habet, sed quæ injuriam tegat, non tollat. Cur autem Episcopis similis honor non defertur? Si quidem, ut §. 2. dicit Marca, de iniquitate judiciorum Ecclesiasticorum Judices in appellationibus ab abusu non judicant. Adde quod recentia Senatusconsulta reverentiam illam erga summum Pontificem, saltem ex omni parte non servant.

2. Paragrapho 2. monet Judices sæculares; Primò, ut Canonum Executores se non præstent, id est, de solo abusu admisso, non de negotio ipso Ecclesiastico judicium ferant. Secundò, ut nisi abusus sit apertissimus, notorius, & manifestus Ecclesiasticis Judicibus litem relinquunt, rationem affert §. 3. Neesse est enim, inquit, ut Judices Regii hoc sibi proponant, judicia Canonica nullo modo ad jurisdictionem Regiam pertinere; sed communi Episcoporum, & Principum consensu ab ipsis Christiane Religionis primordiis Ecclesiasticæ jurisdictioni addicta. Quare, si necessitate cogente, in eas cognitiones Regia jurisdictione aliquando excurrit, ita se gerere debet, ut lineas hac in re definitas non egrediatur. Observat deinde non passim, sed duabus potissimum de causis judicia Canonica olim à Principibus tentata, vel suspensa; scilicet ad amovendum scandalum, & offensionem publicam; & dum judiciorum ordo per dolum, circumventionem, & machinationem judicio Ecclesiastico Episcopi, vel Clerici opprimerentur. Sed, ut notat §. 4. & ut generaliter dici posset, si quis ad hanc necessitatem coercere velit Patrocinium Regium, usus fori quotidiani periclitari videbitur. Non enim circa ordinem tantum, sed & circa negotia, nihil sibi non licere Judices sæculares arbitrantur, quibus, nisi validius obstitatur, brevî tacitus consensus obtendetur; eritque malum omnis prorsus curationis impatiens. A religione, atque justitia Christianissimi Regis expectandum est remedium. Etenim ea est Parliamentorum firmitas (lenius est verbum ob Augusti illius cœtus re-



782 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
rentiam) ut à solo Rege flecti possit, vixque alterius etiam  
Regis, quàm Ludovici XIV. voluntati cessura sit, quod cum  
ex aliis, tum ex inobservato Edicto anni 1619. supracitato  
constat. Invidiosissimi illius Principis auctoritati, & æquitati  
reservata est gloria Constitutionis illius, quam promiserat  
Marca hoc §. 4. aut potius alia optanda, quæ integram suam  
libertatem, & jurisdictionem Ecclesiæ restituat.

3. Quemadmodum de facta Ecclesiasticæ jurisdictioni à Ju-  
dicibus sæcularibus injuriâ, si quidem inferiores illi sint, ad  
Senatum; si Senatus ipse fecerit, ad Regem recurrendum esse  
vult Marca in hoc 2. cap. §. 5. & cap. seq. §. etiam §. si quid  
perperam ab Episcopis gestum sit, cur non appellabitur Me-  
tropolitano? Si à Metropolitano, alius superior, donec ad  
supremum Romani Pontificis Tribunal perventum sit? Non-  
ne eandem in rebus spiritualibus potestatem à Deo Pastores  
Ecclesiæ obtinuerunt, quàm Magistratus & Principes in re-  
bus temporalibus? Nonne, ut sæpius diximus, si alterutra  
potestas alteri præferri, vel alteram emendare debeat (& re-  
vera debet) spiritualis temporalis est anteponenda? Quanta  
ergò sit spirituali injuria, cum temporalis postponitur, ne-  
dum par non habetur utriusque conditio, ut cuique liberè sua  
liceat obire munia?

4. Sicut olim Ecclesia judiciarium ordinem à legibus consti-  
tutum sequebatur; ita postea ordinem à jure Canonico in-  
ductum amplexa est Gallia, ut ejus nationis Scriptores no-  
tarunt, nominatim Marca §. seq. & perhibet stylus ipse, ac  
praxis: sensim tamen plures factæ sunt mutationes, quibus  
ipsam Ecclesiam subijcere Judices laici conantur; adeo ut ho-  
diè multæ appellationes ab abusu, vix alio prætextu colo-  
rentur, quàm non servatæ formæ à Constitutionibus Re-  
giis, aut stylo præscriptæ, magisque ferè cavendum sit Ju-  
dicibus Ecclesiasticis, ne fori sæcularis praxim, quàm ne  
Canones ignorent. Ex Canonibus enim non observantur  
quamplurimi; formulas moderni juris prætermittere nefas est,  
& abusus multæ obnoxius.

5. Ab ordine tamen judiciario per leges constituto Prin-  
cipem dispensare posse probat Marca §. 6. auctoritate Meliph-  
tongi Episcopi in Concilio Chalcedonensi dicentis, Eutichen  
per

M. C.

De  
Libertate  
Ecclesiæ

III  
236



per se ipsum, non per Procuratorem respondere debere; Nisi, aiebat, aliter jusserit Imperator, cui parendum erit. Verum etiam hodie Magistratibus secularibus in multis parendum est: sed hoc non propter conscientiam, sed propter iram: non quia iusta præcipiunt, sed quia Præceptorum executionem per vim extorquent. Cum ordo judiciarius ad hoc institutus sit, ut rei veritatem, & iustitiam facilius assequantur Judices, & judicia commodius executioni demandentur: sicut in variis Regnis, imò in variis Provinciis pro circumstantiarum varietate diversus est, ita, & pro rerum, & causarum distinctione. Et quemadmodum quilibet Princeps judiciorum formam, prout subditis suis convenire arbitratur, Judicibus suis præscribit; ita æquum esset, ut Ecclesia liberè posset in negotiis spiritualibus & Ecclesiasticis ordinem sequi, quem probasset commodiorem causis rectè citoque expediendis.

6. Frustrà verò dicto §. 6. probatur Ecclesiam olim leges sæcutam in ordine judiciorum: nam ut verbis Lucii III. utar, quæ referuntur cap. 1. de novi operis nuntiatione; sicut leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita & sacrorum statuta Canonum, Principum Constitutionibus adjuvantur. Glossa super verbo, adjuvantur, addit: Et ita in causa Ecclesiastica leges possumus allegare, ut etiamsi Canones deficiant, possit judicari secundum leges. Sed aliud est Ecclesiam iustis, & commodis legibus in suis judiciis uti, aliud non posse à legibus recedere, nisi ex dispensatione Principum.

7. Illis fori sæcularis formulis se non adstringi putabant Judices Ecclesiastici in Gallia ante paucos annos. Nam & quique suum stylum habebant; & initio hujus sæculi autoritate Comitiorum Cleri Gallicani editus fuerat stylum generalis in omnibus Curiis Ecclesiasticis illius Regni servandus. Anno 1560. instabat Senatus Parisiensis, sicut narratur in instrumento relato à Puteano inter probationes libertatum Ecclesiæ Gallicanæ cap. 28. num. 19. ne causæ ad Religionem spectantes apud Judices Ecclesiasticos tractarentur, prout Edicto Regio constitutum fuerat, eaque inter alias afferebatur ratio; „ Quia Judices Ecclesiastici legibus Principum temporalium „ se non teneri arbitrantur, easque non observant. Expediit quidem ad vitanda incommoda, quæ interdum ex diversitate oriuntur, ut Ecclesiæ Officiales judiciario sæcularium ordini sese



M. C.  
784 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
fese quantum possunt accommodent. Sed cum ab eo sibi re-  
cedendum existimant, iniquum est, ut tanquam abusi sua po-  
testate, plectantur a potestate seculari.

C A P U T V I I I .

*De usurpatione jurisdictionis, circa caput 21. lib. 4.  
Domini de Marca.*

libertatibus  
Eccle. Gallic.  
GIII  
236

1. Quatuor primis hujus capituli paragraphis Marca probat  
licere Principibus, & Magistratibus secularibus juris-  
dictionem suam, cum ab Ecclesiasticis impetitur, defendere.  
Quocirca nihil est nobis observandum, cum inutilis sit illa  
disputatio. Nec enim arbitror quemquam ex iis, qui res Gal-  
licanas norunt, posse suspicari Ecclesiasticos Judices illic ju-  
risdictionem secularem invadere, cum vix propriae jurisdic-  
tionis partem retinere possint.

2. Recte animadvertit Autor §. 5. eodem jure uti debere  
Prælatos in tuenda sua jurisdictione, quo laici Magistratus in  
vindicananda sua; idque Decretalibus (debit etiam addere Ca-  
nonibus, quia huic nomini plusculum honoris illic defertur)  
constitutum fatetur. Sed monet, Regiis ordinationibus esse  
præscriptum, ut contra inferiores Judices, Senatuum, con-  
tra Senatus, Regis impleretur auxilium. Verum, ut æqua-  
litas servaretur, debuit ulterius, quod superiori capite dixi-  
mus, injurias ab Episcopis illatas ad Metropolitanos, à Me-  
tropolitanis factas ad Primate, vel denique ad summum Pon-  
tificem emendandas remittere. Contrarium nihilominus obti-  
nere debere quatuor rationibus prebat. Sed hic, ut alibi fre-  
quentissimè, jus cum facto confundit; nec tam sollicitè quæ-  
rit, utrum æquum sit Principes, vel Magistratus aliquid fa-  
cere, quam utrum aliquando sive jure, sive injuriâ, id fece-  
rint, vel faciant modò: sed fallor fortassis. §. enim 6. sic in-  
choat; *Quod æquissimâ ratione nititur.* Prius igitur videndum, an  
re ipsâ rationes illæ (quatuor enim affert) ex æquitate petite  
sint.

3. Prima ratio est, quia cum Ecclesia in Imperio sit, id est,  
per



per Provincias sparsa, ex Civibus constet, & sub Patrocínio Regum degat, Episcoporum refert, pacem cum Imperio retinere. Prudentiæ præceptum est istud, non regula quâ discerni possit, an quod efficiunt Principes, Ecclesiæ injuriosum sit. Eodem argumento, si Ecclesia Principum jura invaderet, repelli possent Reginum Officialium querelæ; reponendo scilicet Regum interesse, ut pacem cum Sacerdotio colant; cum Regnum sit in Ecclesia; & Christianis constet, quorum multi Religionem Civitati non postponent, sed præferant. At exigunt justitiæ leges, ut quærat, non quid quis pati cogatur, sed quid ei debitum sit.

4. Secundo, affertur regula juris; *In pari causa melior est conditio possidentis.* Posset ab hac regula excipi Ecclesiæ causa, quæ ob Religionem favorabilior est. Sed regulæ inhærendo, servandæ sunt ejus conditiones, ut scilicet par sit causa, & possessio pacifica, nec à jure reprobata. Quæ autem inter Ecclesiam & potestates sæculares controvertuntur, ejusmodi plerumque sunt, ut manifestè melior sit illius, quàm istarum causa. Possessio etiam, cum Ecclesia, quantum licet, semper reclamet, pacifica esse non potest: ac præterea frequenter vel est violenta, vel est contra prohibitionem juris inducta, ut ex sequenti ratione Marcæ concluditur.

5. Tertia ergo ejus ratio est, quod minor sit ex parte Ecclesiæ spes emolumenti, quàm metus damni; quod metuenda sint dissidia, contemptus autoritatis Ecclesiasticæ, bonorum direptio, & fidelium pernicies. Vide quàm æquis rationibus nitatur jus Principum. Parva spes est, ut quod ab ipsis petit Ecclesia, consequatur: magnum periculum est, ne potius ab ipsis damnum patiat: metuendum est, ne autoritas Ecclesiastica in contemptum adducatur, ne bona Ecclesiastica diripiantur, ne animæ pereant. Suntne isti justii tituli, quibus possessio juri contraria possit apud æquos, & sapientes Judices excusari? Certa è contra hæc sunt argumenta, non esse tutam Principum conscientiam, ubi solâ se possessione tuentur, cum tantorum malorum metu extortam scire possint.

6. Quartam rationem exprimit his verbis; *Adde alienum esse à prudentia, ut viribus impar se contentionibus implicet, quæ manifestum de-*

G g g g g

tri-



786 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
*trimentum sunt allatura.* Sed si hæc regula generatim observanda  
est, nunquam Episcopi Principibus Ecclesiastica jura occu-  
pantibus obsistent, quandoquidem semper viribus impares  
sunt in sensu illius Autoris. Alia fuit Sanctorum Antistitum  
mens, qui se pro libertate, ac jurisdictione Ecclesiasticâ  
morti exposuerunt; plures etiam eâ de causâ Martyrium  
adepti sunt. Sed hoc, inquires, in rebus capitalissimis. Etiam  
in aliis, ut docent historiæ; quippè cum scirent à minori-  
bus ad majora deveniri, ac nisi citò malis occurratur, insu-  
nabilia fieri. Non putabant autem illi se viribus esse verè im-  
pares, quippè qui Omnipotentis Dei auxilium expectarent;  
& mala omnia temporalia, imò & mortem ipsam gloriosissi-  
mæ victoriæ loco habebant.

7. *Est elegans ratio,* ut vocat Marca §. 7. quam ducit à Prin-  
cipis officio, cui vult componendarum contentionum arbi-  
trium commissum, ex eo quòd constitutus sit à Deo optimo  
maximo, ut Ecclesiam foveat, ejusque tranquillitati prospiciat.  
Sed numquid idem sunt Ecclesiam tueri, & ejus ad se  
jurisdictionem avocare? Istud quidem etiam fecit Justinia-  
nus, sed injuriâ. Carolus Magnus, & Ludovicus Pius ex  
consensu, imò ad preces Ecclesiæ, ut alibi ostendimus, Ec-  
clesiasticarum rerum curam susceperunt, seque Ecclesiæ De-  
fensores, & Adjutores, non Judices, aut Dominos esse  
profitebantur.

8. Leonem IV. Ludovici II. Imperatoris judicio submissis-  
se, si quid à se incompetenter gestum fuisset, refert ex Gra-  
tiano Marca §. 8. Supposititium esse, quòd scribit Gratianus  
ca. *Nos si incompetenter* 2. quæst. 7. & ante illum Ivo Carnotensis,  
suadent temporis, & personarum circumstantiæ. Hallucinati  
sunt fortassis, & quod circa Leonem III. contigit, Leo-  
ni IV. tribuerunt, rei tamen gestæ seriem pervertentes. Nam,  
ut scribit Anastasius, in Concilio ad examinandas adversus  
Leonem III. accusationes congregati; *Universi Archiepiscopi &*  
*Episcopi & Abbates unanimiter audientes dixerunt: Nos Sedem Apostoli-*  
*cam, quæ est caput omnium Dei Ecclesiarum, judicare non audemus: Nam*  
*ab ipsa nos omnes, & Vicario suo judicamur, ipsa autem à nemine judica-*  
*tur, quemadmodum antiquitus mos fuit: sed sicut ipse summus Pontifex con-*  
*suevit, jubeat canonicè obediemus.* Similia dixerant Episcopi à Theo-  
do-



dorico contra Symmachum convocati, ut alibi vidimus.

9. Sed ne in prosequenda falsi accusatione diutiùs immoremur, notamus submissionem illam Leonis IV. si reverà facta est, ex dispensatione Ecclesiastica, ut fatetur Marca, fuisse factam. Cæterùm Glossam Alexandri Imolensis ad marginem prædicti ca: Nos si incompetenter, appositam, vel incongruè applicat, vel ad sensum à mente Autoris remotissimum detorquet. Quid enim sibi volunt illa verba Marcæ; Ubi rectè adnotatum est ex Alexandro Imolensi idem observari debere in Rege Francorum? Postularet contextus, ut in hunc modum intelligerentur contra intentionem Marcæ, quemadmodum Leo IV. ex dispensatione Ecclesiastica sese Ludovici II. iudicio supposuit, ita & Rex Franciæ ex dispensatione debet se Summi Pontificis, aut Imperatoris sententiæ subdere: sed sensus Alexandri est, Regem Franciæ, cùm Superiorem (in temporalibus scilicet) non habeat, in propriis causis jus sibi dicere posse. Hæc sunt ejus verba in l. Est receptum ff. de jurisd. omn. Jud. unde sumpta est illa Glossa marginalis: Facit (ad quæstionem scilicet, utrum non recognoscentes Superiorem possint sibi facere justitiam) Text. in ca. Novit. de iudiciis. Ubi Rex Francorum Superiorem non recognoscens, cognovit de propria causa feudi, de qua aliàs non debuisset esse Judex. Quamobrem auctoritate illius Glossatoris manifestè abutitur Marca, cùm ex ea concludit §. 9. non licere Judicibus Ecclesiasticis jurisdictionem suam, etiam per censuras, adversus Magistratus Regios tueri, quasi isti proprio officio defungantur, dum rebus Ecclesiasticis sese immiscent, aut Rex Christianissimus, etiam in spiritualibus, Ecclesiam ceu Superiorem non recognoscat. Addit enim Alexander Imolensis cum Abbate; Licet non recognoscens Superiorem possit esse Judex in propria causa, verum est quoad sibi subditos, non quoad alios, quod confirmat testimoniis Hostiensis & Joan. Andr. Papa autem, & Episcopi in spiritualibus Regi Franciæ non sunt subditi.

10. Liceat iterum animadvertere, quàm malè sibi concordent Galli de suis libertatibus agentes; cùm enim eas in observatione Canonum reposuerint, eas tamen Conciliorum auctoritati anteponunt. Scribit enim Marca hoc §. 9. rejectum fuisse à Gallis Decretum Concilii Lugdunensis sub Gregorio X. anno 1274. habiti, quo permittebatur usus censuraru

G g g g 2 rum



788 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
rum adversùs Ecclesiasticæ jurisdictionis usurpatores. Sed in-  
justam fuisse recusationem, vel saltem alio quàm libertatum  
fundamento niti debuisse, satis ipsimet Galli significarunt;  
quandoquidem, ut subjungit idem Marca, privilegiis Apo-  
stolicis sese munire fatigerunt. Miror autem eundem Autorem  
famosas illas consuetudines Angliæ, pro quibus Henricus II.  
Rex tantum sibi dedecus apud probos omnes comparavit,  
quasque meliori consilio postmodum abrogavit, è Gallia, sal-  
tem ex parte, advectas doceat, quasi earum origo Galliæ  
magno esset honori vertenda.

11. Concludit Marca librum, monendo Episcopos pro  
fide tuenda, mortem, si opus sit, oppetere debere, potiùs  
quàm fidei violationi assentire, aut connivere; pro jurif-  
dictione, ac pro disciplina Ecclesiastica, non ità; sed Ca-  
nonum infractionem tolerare. Id est, faciant quidquid libue-  
rit, & Rex, & ejus officiales contra Ecclesiam, dummodò  
fidem non oppugnent; imò nec si fidem impugnent, Ec-  
clesia ex nova declaratione Cleri Gallicani posset eos per tem-  
poralem pœnam cohibere; atque aded per nullam; spirituales  
enim irident, qui fidei bellum indixerint.

12. Libertatum Gallicanarum hæc summa est juxta Mar-  
cam, ut Episcopi, & Summus ipse Pontifex, majorum ma-  
lorum metu omnia perferant. Cæterùm cum ruitio Ecclesiæ  
Romanæ, Galliæ sit à Divino Numine commissa, dummodò  
jure, quo dixi, laica potestas uti sinatur, *communia erunt*, ut  
ait, *cum Romana Ecclesia illius Regni Christianissimi & florentissimi fata,*  
*qua sunt usque sæculi interitum perduratura; sed aliter de illa condi-*  
*tione senserunt, ut suprâ notavimus, Episcopi, qui Regi*  
*Cœlesti magis quàm terreno placere studentes, & Ecclesiæ*  
*jura suis rationibus præponentes, vitam sibi, quàm Ecclesiæ*  
*libertatem eripi maluerunt. Absit ut credam, Regem Christia-*  
*nissimum eo tantùm pacto communia velle cum Romana Ec-*  
*clesia florentissimi sui Regni fata; ut in Ecclesiam quidquid*  
*sibi citra fidem libeat, liceat.*

M. C.

De  
Libertatibus  
Ecclesie Gallicane

III  
236



## C A P U T I X.

*De Tractatu Caroli Fevret.*

1. Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ pars tantum sunt appellationes ab abusu, ut ait Carolus Fevret: & tamen cum ille novem libris partem illam enucleandam suscepisset, præfatur, fieri non posse, ut quis omnes hujusmodi appellationum casus complecti possit: unde concludit; „ Plura semper dicenda fore, quam dicta sint; decies longiorem viam, percurrendam, quam quæ decursa fuerit; abyssum esse, quam nullum ingenium quantumvis perspicax penetrare possit, &c. Hujus autem difficultatis vera causa est, quod penes Curias Regias esse dicatur, declarare, quid in quaque re abusu-um cenferi debeat. Etenim Senatusconsulta supremæ leges sunt. „ Res etiam non parvi momenti est, inquit idem Fevretus in præfatione, quod Arresta super appellationibus, ab abusu inscriptis, in quovis Parlamento Regni lata, legis generalis vim ubique obtinent, & loco judiciorum universali sunt inter omnes, & in omnibus casibus. Emanant autem indies nova Placita novos abusionis articulos constituentia. Itaque impossibile est, ut appellationes eo titulo coloratæ certis circumscribantur limitibus.

2. Tantum abest, ut huic torrenti obex aliquis possit opponi; ut si quis eas appellationes Ecclesiæ nocivas, nedum si hæreticas dicere ausus fuerit, in crimen læsæ Majestatis incurrat, ut innuit idem Fevretus loco jam supra citato. Non est quidem hujus criminis reus habitus Clerus Gallicanus, quando Regibus supplicavit; ut ad certa quædam capita revocarentur, ne in immensum excreverent. Sed licet mitius cum illo actum sit, parva ejus supplicationis habita est ratio, & renitentibus Curiis, tenuissimus ex ea fructus perceptus est.

3. Nec putes quæ in hac materia de novo accidunt, non esse recentia jurisdictionis Ecclesiasticæ vulnera, sed regulas jam constitutas ad similes casus de novo emergentes accommodatas. Plurima enim sunt, in quibus non ita pridem jus suum



790 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
Ecclesiæ afferebatur, quæ recentibus Placitis evertuntur,  
v. g. in responſionibus ad quosdam articulos Romæ miſſos,  
inter probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ relatis cap.  
36. num. 17. ad art. 18. Senatus Parisienſis expreſſè declarat;  
circa cognitionem testamentorum, æquum eſſe, ut quæſtio-  
nes de testamentis. & eorum validitate inter laicos, apud Ju-  
dices Laicos tractentur: & ita plurium Regni Provincia-  
rum conſuetudinibus conſtitutum fuerat, præter uſum anti-  
quorem, quo absque diſtinctione Judices Ecclesiastici de  
quæſtionibus illis judicabant, ut videre eſt apud Fevretum  
lib. 4. cap. 6. num. 3. ubi teſtatur in Provincia Burgundiæ ita  
obſervatum uſque ad annum 1508. Res tamèn eò devenerunt,  
ut etiam inter Clericos de testamentis Clericorum controver-  
ſiæ apud Judicem Ecclesiasticum ventilari non poſſint, quin  
appellationi tanquam ab abuſu locus detur, ut habet idem Fe-  
vretus loco citato num. 7.

4. Alia paſſim occurrunt exempla in ejus Scriptoris Tracta-  
tu, de quibus idem dici jure merito poteſt, quod fatetur  
lib. 4. cap. 11. num. 10. Adducta enim autoritate Boërii,  
Joannis Galli, Molinæi, & Tiraquelli ſentientium, quod,  
dum Clericus ſuper penſione non ſoluta convenitur, neque  
de fundamento illius penſionis, quod Reale ſit, agitur, om-  
niſque fraus abeſt, debet coram Judice Ecclesiastico agitari  
controverſia, quod præfatus Joannes Galli adeò æquum eſſe  
arbitratur, ut ſe credere iſtam opinionem tanquam Evan-  
gelium veram, dicere non fuerit veritus. Tamen, inquit ibi  
Fevretus, „in pluribus locis uſus juri, & rationi prævaluit.

5. Sed, cum juſtitia in quadam æqualitate, ac commen-  
ſuratione conſiſtat, tunc perfectè eluceſcit, cum ambæ par-  
tes comparantur. An Curia ſæculares æqualitatem ſervent,  
dum quæ cujuſque juſdictionis cauſæ ſint, diſcernunt, ex  
iſto exemplo inter alia innumera intelligi poterit. Idem Ca-  
rolus Fevret lib. 4. cap. 10. num. 1. & 2. Clericos in officio,  
vel negotiatione ſæculari delinquentes Regiorum Officialium  
correctiõni, ac caſtigatiõni ſubjicit. At verò num. 3. Laicum  
in officio Ecclesiastico, qualis eſt Presbyterorum in carceri-  
bus Episcopaliſibus detentorum cuſtodia, peccantem eximit à  
Judicis Ecclesiastici animadverſione. Fatetur id quibuſdam

M. C.  
Libertatibus  
Ecclesiæ Gallicanæ  
GIII  
236



videri : sed , inquit , *quod Senatus placuit vim habet legis* ; utinam in istis tantum , non etiam in iis , quæ Religionem intimius attingunt . Non est , inquit Fevretus , Laicus Ecclesiastico Judici subditus , nisi in Spiritualibus . Sed quæ sunt illa spiritualia ? Ab hoc enim numero excluditur ibidem dierum festorum observatio , & alibi alia .

6. Si quæ autem adeo evidenter spiritualia sunt , ut id negare pudeat , prætextu possessorii ad Tribunalia sæcularia trahuntur . „ Necesserunt , ut notat lib. 4. cap. 11. num. 6. „ *Judices Regii Ordinationi , seu Constitutioni Regiæ an. 1629. qua Ludovicus XIII. vetuerat , ne supremæ Curia , aut alii Judices Regii , de rebus spiritualibus , aut ad sacramenta pertinentibus judicarent , etiam sub prætextu querelæ , aut possessorii causis hujusmodi accommodati . Adeo scilicet ægrè quis resilit ab eo , quod semel injustè usurpavit , dum emolumentum , vel autoritatis aliquam hinc imminutionem consecuturam videt , ut observavit idem scriptor in præfatione .*

7. Quandoquidem Regium Franciæ Consilium in causa Electensi , & in causa Aginensi aliquot ante annos Regularium jurisdictioni circa prædicationem verbi Divini , & Sacramentorum administrationem limites constituit ; imò & in Electensi certis casibus absolutionem sacramentorum negari non posse declaravit : Quid erit adeo sacrum , & spirituale , quod à jurisdictione sæculari eximatur ? Perhibent quidem hæc Placita , quorum alterum vidi , alterum relatu accepi , Regem tanquam Canonum executores ea statuere : sed executio certam & evidentem Canonum sententiam supponit , quæ rei cognitionem judicariam non requirat : & tunc tantum à Principibus curanda est , cum eam Ecclesia per se consequi non potest .



## CAPUT X.

*Qua ratione olim procederetur, ubi Superiores Ecclesiastici suâ potestate perperam uti videbantur; quibusq; gradibus peruentum sit ad appellationes ab abusu. ad cap. 1. Fevreti.*

1. **C**arolus Fevretus octo primis paragraphis capitis primi multis probat adductis testimoniis, vocem, *abusus*, aptè usurpatam ad designandum pravum jurisdictionis usum; sed nulla est de hoc nomine quæstio: de modo tantum, quo abusuum reparatio procurari dicitur, plurimum dolent, quicumque Ecclesiam amant: & multò tolerabiliores fuissent viæ illæ, quibus procedebatur olim, quasque ceu imperfecta quædam appellationum ab abusu rudimenta fuisse asserit § 9.

2. Nam cum loco cap. seq. citando appellationes ab abusu in rebus tantum gravibus interponendas esse notaverit, convenientius erat, ut recentiores Gallicani majorum suorum reverentiam erga sanctam Sedem imitantes, eam sequerentur rationem, quam refert §. 10. ubi ait; in rebus magni momenti, si quid accidisset libertatibus, & immunitatibus Ecclesiasticis, vel Regis, & Coronæ juribus contrarium, solitos olim Prælatos, & Regni Optimates, comprobante, ac permittente Rege, congregari ad restituendas res in pristinum statum, ideòque delegari ad sanctam Sedem Illustres, ac magni meriti viros, qui sanctæ Sedi supplicarent, ut quæ proponebantur, amplecteretur, & monitiones libenter audiret. Res gravioris ponderis, quas solas appellationibus ab abusu subjici debere fatetur, paucæ sunt; atque adeò non nisi rarissimè ad sanctam Sedem recurrendum foret. Si autem hodiè Tribunalia sæcularia hujusmodi causis, plusquam quibusvis aliis occupantur, hoc inde accidit, quia sine ullo delectu admittuntur appellationes tanquam ab abusu, sive levis sit materia, sive gravis, sive appareat abusus, sive secus, sive de re spirituali agatur, sive de temporalis, quibus ita se habentibus non mirum est, si in-

com-

M. C.

2.  
Libertatibus  
Eccles. Gallic.

III  
231



commodum, imò impossibile videatur, toties sanctam Sedem adire.

3. Subjungit Fevretus Prælatos, & Optimates, dum operata à Summis Pontificibus consequi non potuissent, Regi suadere solitos, ut subditos ab oppressionibus tueretur: sed Ivo Episcopus Carnotensis, cujus autoritate nititur, non ita generatim loquitur. Consuluerat illum Episcopum Philippus Rex Franciæ circa indiçtionem tertii intra eundem annum Concilii ab Archiepiscopo Lugdunensi Vicario Apostolico destinatum. Respondet Ivo epist. 56. Rem verisimiliter non eventuram; si tamen, inquit, secus accideret, Apostolicæ institutioni, & Ecclesiasticæ consuetudini fore contrariam: deinde verba subjungit à Fevreto relata; *Si quis vos (alii legunt eos) contra (alii legunt ultra) terminos à Patribus constitutos angariare voluerit, habito communi consilio, oppressionibus pro persona vestra resistite.* Quâ verò ratione resistendum esset non expressit, arbitratus nimirum convenientem illam fore, si communi cum Episcopis, Ecclesiasticæ Dignitatis studiosis, consilio deliberaretur. Omnium autem convenientissima fuisset, ut à Vicario sanctæ Sedis ad sanctam Sedem appellaretur, ut dicitur infra. Quoniam autem alicujus Episcopi accusationem judicaturus dicebatur Legatus; monet idem Ivo non posse accusatum non se sistere iudicio. Unde consequitur eo casu, atque aded, si alia gravis causa postularet, à Legato pluries convocari Concilium, aut sine Concilio judicari Episcopos à Legato; *Si autem aliquis pro culpis suis indulto sibi congruo spatio à Legatis Apostolicis vocatus fuerit, non potest subterfugere, quin ad diem sibi præscriptum occurrat, nisi eum legitima causa detineat.* Inutilem igitur tantum, & injustam, non autem necessariam convocationem excludendam censebat Ivo, & oppressionibus resistendum.

4. Paragraphis 10. & 11. congerit Fevretus exempla delegationum ad sanctam Sedem, tum à Francis, tum ab aliis factarum. Paragraphus 13. similia continet exempla, summorum Pontificum ad Principes litteras, Nuntios, querelarum articulos mittentium; quæ agendi ratio laudabilis, ac Christianæ charitati, mutæque benevolentiæ erat consentanea magis quàm appellationes prætextu abusus.

5. Paragrapho 14. proponitur aliud multoties in rebus  
 H h h h h gra-



794 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
gravissimis adhibitum, nempe mutua colloquia inter Sum-  
mos Pontifices, & Principes, vel saltem inter egregios vi-  
ros ab ipsis deputatos. Optimum etiam consilium, dum il-  
lud rei gravitas exigit.

6. Paragrapho 15. aperitur alia via ad impediendas inju-  
rias, quæ ex mandatorum sanctæ Sedis executione consecu-  
tura essent, nimirum ad sanctam Sedem appellatio. Nam,  
ut inquit S. Bernardus epist. 180. *Apostolica Sedes hoc solet habere  
præcipuum, ut non pigeat revocare, quod à se forte deprehenderit fraude elici-  
tum, non veritate promeritum.* Addit Fevretus appellationem ad  
futurum generale Concilium proximè congregandum, de qua  
jam satis alibi dictum est.

7. Occasione diffidii inter Bonifacium VIII. & Philip-  
pum IV. conflatum est schisma; occasione schismatis edi-  
tæ sunt multæ Constitutiones; decreta, & alia hujusmodi  
jurisdictioni Ecclesiasticæ infensissima. Idcirco etiam edita est  
Pragmatica Sanctio, cujus occasione inductas esse appella-  
tiones tanquam ab abusu, affirmat Autor tractatus *de jurisdic-  
tione Ecclesiastica*, inter acta Cleri Gallicani inserti, & jam pluries  
memorati. Unde Fevretus §. 16. scribit, appellatione denun-  
tiatione protestationes interponi solitas *in forma infractionis Canonum  
aut pragmaticæ*, invocarique Regium Consilium aut Senatum,  
quorum decreto præcipiebatur; „ Ut Ecclesiastici ab iis om-  
nibus cessarent, attentata revocarent, alioquin certa die  
coram Regis consilio, venirent, ut postea, partibus audi-  
tis, super iis rationabiliter provideretur.

8. En primos gradus jurisdictionis sæcularis Ecclesiasticam  
invadentis; non tamen aded perniciosos, si ulterius proces-  
sum non fuisset, earumque rerum sola executio suspen-  
sa fuisset, quæ per obreptionem, vel subreptionem injustè ob-  
tentæ fuissent, quousque per Superiorem ipsum Ecclesiasti-  
cum de rei veritate, ac justitia certiorum factum, emenda-  
tæ fuissent. Subsecutus est usus ille, de quo Fevretus §. 17.  
& 18. retinendarum litterarum Apostolicarum, ne antè de-  
mandarentur executioni, quàm à Judicibus Regiis comper-  
tum fuisset, eas nihil juribus, & libertatibus antiquis Ec-  
clesiæ Gallicanæ, jurisdictioni sæculari, aut Coronæ juri-  
bus adversum continere. Animadversum præterea est in eos,  
qui



qui litteras hujusmodi perferebant. Examen illud, quantum ad legitima jura Regis in ejus Officialibus excusandum videbatur: sed quantum ad res Ecclesiasticas, Episcoporum potius fuisset, opportunum & congruum inquirere remedium.

9. Denique ad appellationes tanquam ab abusu deventum est, quas Fevretus cæteris omnibus modis, de quibus egimus, eâ ratione præfert, quod alii usurpationes, & innovationes detegerent, sed non tollerent. „Nam, inquit, „Senatus-consulta eâ occasione prolata in exempla, seu „præjudicia assumi non poterant, quippè cum causæ cog- „nitione, ac partibus auditis non pronuntiata, sed plerum- „que ex officio, instante solo Domino Procuratore genera- „li Regis, atque ad ejus querelam de usurpationibus, in „rescriptis, quæ ad ejus manus pervenerant, contentis. „Quamobrem successit denique appellatio qualificata, tan- „quam ab abusu, quæ fuit efficacior quàm delegationes, & „colloquia, quàm appellationes ad Papam, vel ad futurum „Concilium, quàm protestationes publicæ, & citationes „in forma infractionis Canonum, quàm etiam examen Bul- „larum, & processus extraordinarii adversus earum latores. Visum est hæc omnia verba Fevreti esse referenda, ut intelligas appellationes ab abusu nihil differre ab aliis appellationibus, nisi quod vox illa, *abusus*, injuriam Ecclesiasticæ jurisdictioni illatam, simplicibus aliquatenus occultet. Quid enim aliud Judex ordinarius appellationum præstat, quàm ut partibus auditis, & cum cognitione causæ decernat, an aliquid sit contra leges, vel contra consuetudinem? Quid aliud facit Judex sæcularis in causis merè temporalibus? Ob- tenditur quidem Judicem sæcularem de ipso negotio spiritua- li sententiam non ferre, sed tantum de abusu. Verum quid aliud est ille abusus, si Gallis credimus, nisi sententiæ iniquitas, idest, Canonibus, & legibus repugnantia? Jam igitur non est melior via appellationum ab abusu, ut è contra iniquior sit. Nam recursus ad Papam, appellatio ad ipsum meliùs consultum, imò appellatio ad futurum Concilium testabantur, negotia esse autoritate Ecclesiasticâ definienda: cum per appellationes ab abusu Laici jus, in

H h h h 2

cau-



796 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
causis spiritualibus & Ecclesiasticis dicant, & iudicata ex-  
quantur.

10. Nescio an risu, an fletu digniora sint appellationum  
ab abusu encomia, quæ habet Fevretus §. ult. Lugere magis  
libet, quia Ecclesia, cum esset Domina gentium, facta est  
sub tributo, & à propriis filiis oppressa. Itaque, inquit  
Fevretus, si rectè ad eorum institutum attendatur, qui  
appellationes ab abusu induxerunt, ad bonum, quod ex  
eis sequitur, ad quietem Principalium potestatum, quæ  
ea ratione procurata est, cum olim ob exortas de jurisdic-  
tione contentiones sæpè commoverentur, ad firmum susten-  
taculum, quo Ecclesiastica, & temporalia jura sub pro-  
tectione, atque autoritate Regiâ communita sunt, meri-  
tò dici queat, primum earum Autorem bis terque excla-  
mare cum Archimede debuisse *εὐρυμα εὐρυμα*, cum nihil ul-  
trà desideretur ad ejus perfectionem, quod tanto tempo-  
re, tantoque labore inquisitum fuerat, ut unusquisque in  
suo jure conservaretur, & ut frequentibus usurpationibus  
occurreretur. Habet enim id præcipuum appellatio ab abu-  
su præ cæteris mediis aliàs adhibitis, quòd effectum suum  
statim consequatur, sitque utilis communiter tam Eccle-  
siasticis, quàm Laicis, qui eâ utuntur. Quam justæ sint  
illæ laudes, aliæque, quas refert §. 6. constat ex iis, quæ  
jam dicta sunt, & constabit ex iis, quæ adhuc dicentur de  
justitia illarum appellationum.

## C A P U T X I.

*Rursus de tempore, quo inductæ sunt appellationes ab abusu,  
& de variis illarum conditionibus; ad cap. 2. Fevreti.*

1. **P**robat Fevretus tribus primis paragraphis capitis 2. non  
ita esse antiquas appellationes ab abusu: sed adhuc recen-  
tiores sunt, quàm ipse putet. Concedit illerecentes esse quan-  
tùm ad formam, sed negat quantum ad vim, & effectum,  
quippè cum jam olim Regia potestas, Prælatorum Eccle-  
siasticorum abusus emendaverit. Verùm præterquam quòd  
adèd



adeò erant evidentes, & notorii excessus, ut causæ cognitionem non requirerent, non ab ipsis sæcularibus corrigebantur, sed plerumque ab ipsismet eorum autoribus emendari curabantur. Nec parvi momenti est forma illa, scilicet appellationis, quæ postmodum inducta est. Imò gravissimum, & perniciosissimum damnum infert Ecclesiasticæ jurisdictioni, quod, dum de illius injustitia egimus, demonstrasse nos putamus. Adde quòd illa, quæ commemorat, saltem in principio, non tam erant provisiones à jurisdictione Regia factæ, quàm querelæ, ac minæ Regiorum Procuratorum Ecclesiasticæ jurisdictioni parùm faventium, vel potius multum adversantium.

2. Optimè §. 4. notat Fevretus (si quid tamen optimum dici debet, ubi vix quidquam occurrit boni: sed optima dici possunt, quæ à pessimis liberant) appellationes ab abusu non nisi gravibus negotiis usurpandas. „ Fatendum est, „ inquit, appellationes illas ex eo magnoperè commendatas, „ quòd, ubi primùm inductæ sunt, non nisi in rebus gravibus, publicis, & magni momenti adhibebantur; & certè „ satis culpari non possunt, qui hoc remedio in quavis occasione utuntur, sine distinctione boni publici, & privati, „ quique omnia gravamina ceu abusus habent, quòd nullo „ modo ferendum est. Idem ferè antea senserat D. de Marca. Quòd ait Fevretus, appellationes ab abusu ex eo magnoperè laudatas, quòd non nisi in gravissimis negotiis principio interponerentur, causam insinuat, cur eis quàm primùm Ecclesia non satis validè obstiterit; quia nimirum illarum usus, ob casuum gravitatem, erat rarus, ac propter remedii difficultatem ferè necessarius videbatur. Nec enim dubium mihi ullum est, quin, si passim, ut hodiè fit, perturbata fuisset Pastorum Ecclesiasticorum jurisdictioni, & ad Tribunalia sæcularia distracta; Ecclesia, quæ pro causis multò minoris momenti tam strenuè decertavit, hanc pro viribus, vindictura fuisset injuriam: sed malum sensim sine sensu adeò excrevit, ut remedium, nisi promptum sit, nihil profuturum videatur.

3. Alia fuit causa neglecti dudum ab Ecclesia illarum appellationum usus, quòd scilicet variis conditionibus tempe-

H h h h h 3

ra-



rarentur, de quibus Fevretus in §§. seqq. quæ tamen hodiè præmittuntur. Necesse enim erat, quod probat pluribus autoritatibus, & ratione §. 5. ut non interponerentur nisi *ab abusu notorio & certo*. Et §. 6. asserit cum alio Autore Gallicano, nomine Buluc, Gallis tantum, & non alienigenis licere sic appellare, &c.

4. Paragrapho 8. appellationes ab abusu in omnibus Franciæ Provinciis usurpari monet, etiamsi Paulus III. Papa institerit apud Henricum II. Francorum Regem, ne in Britannia, in Provincia Provinciæ, in Delphinatu locum haberent. Sed quare Procurator Regius tam iusto Summi Pontificis desiderio sese opposuit? Quia, inquit, Primò illæ appellationes erant licitæ, & juridicæ; sed de hoc est quæstio. Secundò quia Rex justitiæ debitor est subditis suis. Verum id quidem est; sed quantum ad illa tantum negotia, quæ ad Principes temporales spectant. Imò & in rebus spiritualibus & Ecclesiasticis justitiæ debitor est, tanquam Ecclesiæ Protector. Itaque cohibere debet nimium Procuratorum suorum ad ampliandam auctoritatem Regiam studium, ne Iudices sæculares adducat ad usurpandam jurisdictionem, aut imminuendam libertatem Ecclesiasticam. Tertio, quia obedientia illarum Provinciarum erat filialis ad ferenda legitima præcepta, non ad tolerandas novitates juribus temporalibus, & Regis in subditos jurisdictioni, contrarias. Sed an Senatus Iudex est sanctæ Sedis, ut de illius præceptis sententiam ferat? An statim atque Procuratori Regio placebit, Decretum aliquod Summi Pontificis novitatem appellare, quantumvis de re spirituali, vel Ecclesiastica agatur, ita censendum erit; & à Laicis, ligandæ erunt Summo Pontifici manus, sub eo prætextu?

5. Si verum esset, quod antea dixerat Fevretus, non interponi appellationes ab abusu, nisi ubi violatur Regia jurisdictione, concedendum esset Procuratorem Regium partis vice fungi, nec sine illius consensu controversias posse componi, ut asserit idem Autor §. 9. sed ea causa vel raro, vel nunquam accidit. De privilegio appellationum ab abusu, de quo Fevretus §. 10. quod scilicet nullâ præscriptione, nullo præjudicio, nullo partium consensu, nullâ temporis diu-

tur-



turnitate impediri valeant, id tantum hinc dicendum est, nihil esse jurisdictioni Ecclesiasticæ; imò & publicæ tranquillitati infestius, quandoquidem nulla est judiciorum Ecclesiasticorum securitas, si quocumque tempore, ac quacumque firmitate roborata sint, concuti per appellationes ab abusu possunt. Sed qui sunt antiqui Canones, quibus innitur illud privilegium?

6. Variæ formulæ sententiarum circa appellationes ab abusu, quas refert Fevretus §. 11. parum prosunt Ecclesiæ: sive enim appellatio in nihilum redigatur, sive iudicium Ecclesiasticum ab usum declaretur; Laici rerum Ecclesiasticarum arbitros se constituunt; formulas autem, dum libebit, immutabunt. Iniquum videtur, quod ait §. 12. ut qui iudicium Ecclesiasticum, à quo est appellatum, defendit, multa pecuniaria plectatur, si ab usum intercessisse Senatus declaraverit. Id enim saltem Ecclesiastica jurisdictio mereri videtur, ut insontes habeantur, qui iudicia illinc profecta bonâ fide secuti sint. Alioquin enim, cum ex innumeris capitibus Ecclesiastica Decreta de abusu damnentur, quis erit qui ad Tribunal sæculare vocatus multam metuere non debeat? Quis iudicis Ecclesiastici sententiam parvi non faciat, quam defendere sine periculo multæ non possit?

7. Quod non possint partes appellantes ab abusu, recedere ab appellatione, quod intendit Fevretus §. 13. quod etiam post tres sententias Ecclesiasticas conformes appellari tanquam ab abusu possit, Ecclesiæ damnum auget, & illatum jurisdictioni vulnus exacerbat; imò Edictis Regiis repugnat; quæ videri possunt inter Acta Cleri Gallicani sub hoc titulo; *De appellationibus tanquam ab abusu* tom. 2. jam citato.

8. Magna scilicet exhibetur Summo Pontifici reverentia; dum, ut ait Fevretus §. 15. non appellatur directè à concessione, vel expeditione Bullæ, seu Rescripti, sed solum ab eorum fulminatione, & executione. Sed quæ fides haberi potest huic Autori, qui tam apertè sibi contradicit? Nam num. 9. refert, in Parlamento Divionensi anno 1632. 25. Julii pronunciatum fuisse Placitum, seu Arrestum, quo Rescriptum Pontificium in causa Matrimoniali declaratum fuit malè, nulliter, & abusivè expeditum. Hinc autem, id est, hoc §. 15. negat



800 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
negat appellari ab expeditione. Alia sunt, in quibus videtur  
Fevretus emollire velle jurisdictionis Ecclesiasticæ vulnera:  
sed praxis quotidiana, quam ipsemet aliis in locis refert, dicto-  
rum falsitatem arguit.

9. Fuerat quidem olim statutum, quod tradit §. 16. ut ap-  
pellationes ab abusu Judicis Ecclesiastici potestatem non sus-  
penderent, sed devolutivum dumtaxat, non autem suspen-  
sivum, ut loquuntur pragmatici, effectum haberent. Verum  
immutata est hæc jurisprudentia. Rursus restituta est, saltem  
ex parte, Edicto Regis hodie Regnantis, ut videri potest in  
Actis Cleri loco citato: sed nescio quamdiu duratura sit, aut  
num violari rursus jam non cœperit?

10. Conquesti sæpissimè sunt Præsules Gallicani adversus  
illas appellationes, sed Judicum sæcularium nimis intererat,  
ne tollerentur. Quia Præsulum querelæ apertissimâ justitiâ  
nitebantur, adhibitæ sunt certæ conditiones, quæ doloris  
sensum remittebant per aliquod tempus: non autem morbo  
medebantur, neque etiam diu intermittebant. Ita verè scri-  
bit Fevretus §. 17. prohibitum fuisse art. 59. Constitutionis  
Blesensis Curiiis Regiis, ne appellationes illas admitterent  
extra casus in Constitutionibus Regiis contentos. Sed debile  
repagulum ad sistendum Curiarum impetum. Verba illa ge-  
neralia nunquam casibus particularibus convenire videbuntur.  
Quin etiam, licet aliqui articuli expressè prohibiti sunt à  
Constitutionibus Regiis, Judices nullatenus prohibitionem  
morantur, ut patet in exemplo alibi adducto de appellationi-  
bus in rebus spiritualibus, & Sacramentis, de quibus vetue-  
rat Rex, ne prætextu possessorii cognoscerent Judices sæcu-  
lares, & in exemplo, de quo Fevretus hic §. 22. postea dis-  
cutiendo.

11. Præcepit etiam Ludovicus XIII. anno 1635. quemad-  
modum notat Fevretus §. 18. ut appellationes ab abusu audi-  
tis partibus statim judicarentur, nec ad consilium mitteren-  
tur, nisi itâ sentirent duæ ex tribus Judicum partibus. Ve-  
rùm facilè occurret, ut plerique Judices maturiùs de rebus  
illis deliberandum sentiant, aliqui fortassè, ut rei veritatem &  
justitiam diligentius inquirent; alii fortassè, ut emolumento  
non careant, quod nullum esset, si negotia extemplò defini-  
rentur.

12. Aliam



12. Aliam adhibuerat cautelam Henricus IV. Edicto verificato anno 1606. ut testatur idem Fevretus §. 19. ut scilicet Advocato pro appellante ab abusu peroranti adstarent alii duo appellationem approbantes. Ejusmodi cautelæ signa sunt gravitatis appellationum ab abusu, quas difficiles efficere tot modis conati sunt Principes. Sed debilia nimium remedia sunt. Et quod quidem spectat ad præsentiam Advocatorum, in tanta Patronorum copia vix unquam deerit ille numerus litigare cupienti, ut à prosequenda appellatione revocetur defectuum Patronorum, qui, utrum hodie requirantur, mihi certum non est, licet plurimum partem metuum negativam.

13. Paragrapho 20. scribit vetitum fuisse anno 1610. ne litteræ appellatoriæ ab ordinationibus, quas in visitationis decursu edidissent Archiepiscopi vel Episcopi circa cultum Divinum, & disciplinam Ecclesiasticam, aut à Statutis Conciliorum Provincialium, non nisi magno sigillo imprimerentur, ut scilicet difficilior esset expeditio, atque ita appellationum numerus minueretur: sed statim monet Senatam Parisiensem anno 1612. 30. Maii facultatem appellanti bus concessisse, ut, five in magna, five in parvis Cancellariis litteræ possent expediri, & sigillari, ita scilicet, quod Rex concedit, Senatus aufert.

14. Edicto Ludovici XIII. anno 1625. quod citat Fevretus §. 21. cautum est, ne Judex Ecclesiasticus, à cujus sententiâ interposita est appellatio tanquam ab abusu, sese iudicio sistere cogatur. Statutum id fuit, ut dignitati Episcoporum, & Vicariorum provideretur, ut inquit D. de Marca lib. 4. cap. 19. num. 8. Verum charior est iudicibus sæcularibus propria Dignitas, quam Episcopis, adeoque est danda opera, ut Senatorum majestas ex hoc etiam capite præfulgeat; id est, ut Episcopi aliique Judices Ecclesiastici omnibus litibus intercedere cogantur, in quibus de appellationibus ab ipsorum iudiciis agitur. Ideoque non observatur istud Edictum à Curiiis Regiis, saltem ab omnibus.

15. Is quidem honor adhuc Ecclesiæ defertur, ut appellationes ab abusu in magna Senatûs Camera ventilentur, ut dicit Fevretus §. 22. & 23. Sed quis putet honore illo posse compensari, quas jam notavimus, injurias, & quas adhuc



802 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
notare possemus? Nam in hoc ipso §. 23. probat idem Autor  
appellari posse non solum à fulminatione, & executione,  
sed etiam à publicatione Bullarum, & earum executionem  
prohiberi; quamvis nullus exstet actus iudiciarius circa illam  
executionem. §. 24. clausulam, *appellatione submotâ*, re-  
scriptis delegatoriis inseri solitam, appellationibus ab abusu  
non præjudicare scribit, §. 25. non posse super his appella-  
tionibus in arbitros compromitti, aut inter partes componi,  
§. 25. possessionem triennem nullatenus juvare.

16. Vides quot accidant ex illis appellationibus incommoda  
Ecclesiasticæ jurisdictioni: quàm accuratè seruentur, quæ  
Ecclesiæ adversantur: quàm parùm referat ipsa utilitatis ex  
iis, quæ Reges in ipsius levamen constituunt, etiam dum Cle-  
rus opima Regi confert subsidia.

## C A P U T X I I.

*Respondetur rationibus à Fevreto cap. 3. adductis ad pro-  
bandam justitiam appellationum ab abusu.*

1. **P**roposuerat sibi Fevretus in hoc capite appellationes ab  
abusu tanquam justas defendere. Sed nescio, an aliundè  
magis quàm ex ejus doctrina illarum injustitia innotescat.  
§. 1. distinguit duplex appellationum genus, scilicet simpli-  
cium, & tanquam ab abusu, duoque sibi objicit adversus  
ultimum istud genus; Primum quod pervertant ordinem ju-  
risdictionum. Cùm enim appellationes ab inferiori ad supe-  
riorem perferendæ sint, hinc à Judice Ecclesiastico provocatur  
ad sæcularem, cui certè non subjacet; undè jurisdictio ac li-  
bertas Ecclesiastica læditur: alterum, quod eà vià Ecclesiasti-  
cæ personæ, ac causæ spirituales Curis sæcularibus submit-  
tantur. Optimè assignat præcipua capita, ex quibus petitur  
injustitia prædictarum appellationum; illa si evertat, rem ferè  
confecerit. Videamus igitur, quibus machinis aggrediatur. Fa-  
tetur in appellatione simplici provocandum ab Episcopo, seu  
ejus Officiali ad Metropolitanum, à Metropolitano ad Prima-  
tem,



tem, à Primatè ad sanctam Sedem, vel ad Judices ab ea delegatos: appellationem autem ab abusu dictam vult interponendam esse ad supremas Curias sæculares, non ordine naturali, quem ille vocat Ressortum, seu devolutionem ab inferiori ad superiorem, sed jure protectionis Regiæ, quâ Princeps tenetur subditos suos, sive Clericos, sive Laicos in propria jurisdictione conservare.

2. Sed declinat statim à scopo, & eo errore indicat se illuc rectè tendere non posse. Cum enim appellationum ab abusu innumeræ sint species, quæ singulæ specialibus, omnes autem duobus supradictis vitiis laborant; scilicet quod jurisdictiones confundant, & Clericos, ac causas spirituales Laicis subjiciant; quadam saltem generali ratione universæ defendendæ fuerant. Sed frustra id, utpotè impossibile expectes. Assumit Fevretus unicam speciem, cujus nimirum injustitia minùs est evidens; quasi hæc alias omnes complecteretur. Conatur probare; licere Principibus impedire, ne Ecclesiastici Judices jurisdictionem sæcularem, aut jura Regnorum usurpent. Ergone si hoc consecutus fuerit, continuò innoxia erunt, quæcumque Judices Laici contra jurisdictionem, ac libertatem Ecclesiæ, prætextu appellationum ab abusu in Gallia præsumunt? An ad illum articulum pertinent, quæcumque Fevretus in novem libros digessit, protestatus se omnia complexum non fuisse, nec thesaurum illum à quoquam exhauriri posse?

3. Quomodò autem ex jure defendendæ propriæ jurisdictionis infert licitas esse illas appellationes? Nonne Ecclesia etiam potest propriam jurisdictionem tueri? Cur ergo pari saltem ratione non licebit à Judice sæculari ad Ecclesiasticum provocare? At, inquit Fevretus, non dicitur appellatio simpliciter, quæ interponitur à Judice Ecclesiastico ad sæcularem, sed cum addito; tanquam *ab abusu*; quasi verò de solo nomine, ac non potius de re ipsa sit quæstio; aut possit nomen, quod etiam odiosum quid sonat, à sacrilega usurpatione injuriam rescare. Saltem ergo fateatur licere ad Summum etiam Pontificem appellare, cum addito, *tanquam ab abusu*; quando Judex sæcularis jurisdictionem Ecclesiasticam offendit. Non enim minùs ad supremum Ecclesiæ Pastorem



M. C.  
De  
libertatibus  
Eccle. Gallic.  
GIII  
231

804 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
pertinet jura Ecclesiastica tueri, quàm ad Principes tempo-  
ralia propugnare.

4. Non pervertitur, subjungit Fevretus, ordo appella-  
tionum Ecclesiasticarum, quia illud, in quo fundatur abu-  
sus, est quid facti, ad spirituale nequaquam attinens. Adèd  
iniqua est praxis Curiarum Franciæ, quæ contra Constitu-  
tiones Regias, nedum contra Canones, de causis etiam spi-  
ritualibus, affectâ illis imaginariâ possessorii specie, judicant;  
ut dum de justitia appellationum ab abusu in communi agit  
hic Autor, cogatur affirmare illas nequaquam ad spirituale  
attinere. An igitur corporalia, seu temporalia sunt, quæcum-  
que ille in suum tractatum congeffit, tanquam materiam hu-  
jusmodi appellationum ab abusu? An sacramenta, dispensa-  
tiones super votis, & juramentis, beneficia, censuræ, ab-  
solutions, &c. in Parliamentis Gallicanis temporalia repu-  
tantur, quantum ad omnia, quæ circa illa ibi ventilantur?

5. Addit præterea ad Regem pertinere, vel ad ejus Cu-  
rias, decisionem quæstionis illius de facto; num scilicet ali-  
quid contra jura sua temporalia sit attentatum; quia, in-  
quit, dum aliquid attentatum est, Rex superiorem non ag-  
noscit. Duo confundit inter se maximè diversa. Aliud enim  
est quærere, utrum ad Principem dumtaxat spectet cognos-  
cere, an aliquid juribus suis temporalibus adversetur; aliud,  
dum adversari constat, utrum ab alio debeat injuriæ repara-  
tio postulari. Sed quodcumque assumatur, nonne opponi  
potest ad Ecclesiam quoque spectare, ut judicet, an aliquid  
sit spirituale, & cum ejusmodi esse patuerit, illud Ecclesiæ  
vindicare? At, reponit Fevretus, neque justum esset, ne-  
que decorum, ut Dominus Procurator Regius, qui partis  
vices agit in appellationibus ab abusu, litigaret coram Offi-  
ciali; ut resarciri curaret, quæ ab eodem Officiali, vel ab ejus  
inferiori attentata fuissent contra jura Regis. Fateor injustum  
illud, & indecorum fore; sed apud eos tantum, qui & per-  
sonas, & res sacras parvi pendere consueverunt; quique,  
non ut fides & ratio docent, sed ut mundus sapit, sentiunt;  
non autem apud eos, qui spiritualia corporalibus, æterna  
temporalibus anteponunt, & intimo pietatis ac religionis  
affectu ducuntur. Sed nonne minùs justum, minùsque de-  
corum



corum est, ut Episcopus, aliique Judices Ecclesiastici, pro rebus spiritualibus & Ecclesiasticis, ad Laicorum Tribunalia traducantur; & si quam prætermiserint in suis judiciis fori secularis formam, tanquam rei mulctentur?

6. Observa iterum Carolum Fevret in fine hujus §. 2. appellationes ab abusu in hoc ab ordinariis appellationibus discernere; quod illæ nusquam interponendæ sunt, nisi usurpatione jurisdictionis intercesserit. Propria ejus verba exscribenda sunt, ut videas etiam ipsos Ecclesiasticæ jurisdictionis hostes, vi veritatis convictos, dum justitiam appellationum ab abusu statuere nituntur, illarum usum ad casum usurpationis restringere coactos. *Et de plus afin de separer ces appellations des autres pures & simples, on les qualifie du nom d'abus, pour donner à connoître, que sans ladite qualité d'abus, qui denote toujours quelque entreprise ou usurpation de jurisdiction, la justice Royale ne s'y entremettrais pas; id est, „ Præterea ut hujusmodi appellationes à meris, „ & simplicibus appellationibus distinguantur, nomine abusus insigniuntur; quo significetur sine illa conditione abusus, quæ aliquam semper jurisdictionis usurpationem involvit, Judices Regios ab illis abstenturos. Cur ergo aliis casibus sese Regii Judices immiscerent, ubi certum est nihil adversus jurisdictionem Regiam esse tentatum?*

7. Frustra autem §. 3. excurrit ad exempla implorati à Clericis Principum auxilii. Aliud enim est Regios Ministros, Ecclesiæ, vel ejus Ministros ad exequendos Canones, aut comprimendos Canonum infractores, postulantibus opem præbere; aliud Ecclesiasticas personas, & causas per appellationes ad se trahere, ac prætextu protegendorum Canonum, Ecclesiæ jurisdictionem, & libertatem opprimere.

8. Duo tantum ibi sunt, quæ aliquam videntur pati difficultatem. Primum est exemplum Leonis IV. Pontificis, judicio Ludovici Pii Imperatoris se supponentis, alterum auctoritas Brunonis Cassanæi in libro *de privilegiis Regularium* appellationes ab abusu licitas asserentis. Quod quidem ad Leonem IV. attinet, de eo jam supra egimus. Ejus verba citantur quidem ab Ivone Decret. 5. part. cap. 22. & à Gratiano 2. quæst. 7. cap. *Nos si incompetenter*. sed referuntur, ut à Nicolao scripta Imperatori, Neque autem inter Epistolas Leonis,



806 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
neque inter Epistolas Nicolai reperiuntur. Testimonium Ivo-  
nis, & Gratiani, qui plura supposititia suis Decretis inserue-  
runt, adstruendæ facti veritati est impar: quia de re ipsorum  
ætate gestâ non loquuntur, præterquam quod potuisset for-  
tè Leo IV. voluntariè, non coactus à jure, vel Officio,  
Imperatoris arbitrio se submittere, quemadmodum Leo III. co-  
ram Carolo Magno, aliisque Magnatibus, & Episcopis se  
purgaverat an. 799. referente Anastasio, aliisque quampluri-  
mis, cum expressa protestatione se id agere non coactum, nec  
obligatum, id quoque publicè protestantibus Episcopis.

9. Brunonis Cassanæi autoritas ad hoc tantum valet, ut  
certiores simus, quod aliunde docet experientia, Regulares  
aliquos in Gallia tuendorum suorum privilegiorum omnem  
honestam rationem arbitrari; utque in tuto illa ponant adver-  
sus Episcopos, non ad Summum Pontificem, à quo illa ac-  
ceperunt, cum minus suis desideriis propitium metuunt,  
aut longiores moras refugiunt, sed ad sæculares Judices contra  
libertatem Ecclesiasticam, & contra proprias etiam Constitu-  
tiones interdum recurrere. Sic etiam aliquando Episcopi ad-  
versus Regulares malunt Curias sæculares, cum in sua deside-  
ria propensas vident, quam summum Pontificem adire: quæ  
causa est, ut dum quisque suis rationibus magis quam Eccle-  
siæ juribus intentus est, illinc petat auxilium, unde conse-  
qui speret; non attendens quantum Ecclesiasticæ jurisdictioni  
vulnus inferatur, dum Laicorum judicio subijcitur.

10. Cæterum frustra hic & alibi exemplo Hispanorum,  
praxim Gallorum excusat Fevretus. Nec enim conditionem  
acceptarent Galli, ut iisdem legibus erga Ecclesiam, & su-  
premum ejus Patrem, & Pastorem sese gererent, quibus His-  
pani. Sed extra institutum nostrum est illa collatio. Non enim  
quærimus, quid faciant Hispani, sed an rectè faciant Galli.

11. Paragrapho 3. asserit Fevretus appellationibus ab abusu  
non solum Laicis Clericos, aut spirituales causas Curiarum  
sæcularium cognitioni non subijci; sed etiam iis potius effici,  
ut spiritualia secerantur à temporalibus, & illa Ecclesiasti-  
cis, ista sæcularibus judicanda tribuantur, Curiiis Regiis id  
tantum exquirentibus, an de facto jurisdictio Regia, jus pa-  
tronatus Laici, & his similia læsa sint, & quæstiones omnes  
de

M. C.  
Libertatibus  
Eccle. Galliarum  
CIII  
231



de rebus spiritualibus ad Ecclesiasticos. Officiales liberè judi-  
candas remittentibus. Minus esset inflictum Ecclesiæ vulnus,  
si limitibus illis verè circumscriberetur Regionum Judicium  
examen. Sed præterquam quod non magis, imò minus ad  
Laicos, quàm ad Ecclesiasticos pertinet, spiritualia à tempora-  
libus, à sacris profana discernere. Testis est ipse Fevretus quàm  
latè perrupti sint aggeres, quos hîc commemorat.

12. Adverte autem quomodò hic Scriptor excurrat. Nam  
§. superiori dixerat Curias sæculares non se immiscere judiciis  
Ecclesiasticis, nisi ubi usurpata fuisset jurisdictio Regia, hic  
jus patronatus ad Laicos pertinens etiam in exemplum addu-  
cit materiæ appellationum ab abusu, quasi jus patronatus  
sit aliquid profanum, & ut ipse loquitur, ad spiritualia  
nullatenus pertingens, de quo non possit Ecclesia sine in-  
juria Judicium sæcularium sententiam ferre. Hic tamen non  
subsistit, ut in toto ejus Tractatus decursu videre est.

13. Paragrapho 4. negat confundi jurisdictiones, aut  
Ecclesiasticam à Regia ullo modo imminui; quia appella-  
tiones ab abusu inductæ sunt, inquit, ut sua cuique ju-  
risdictio salva esset. Si is fuit primæ introductionis finis,  
ex eventu patet eas contrarium fortitas esse effectum, ut  
sæpè diximus.

### C A P U T XIII.

*Respondetur aliis rationibus, quæ à Fevreto proferun-  
tur in præd. cap. 3.*

1. **N**on esset, cur tantum eniteremur adversus appella-  
tiones ab abusu, si verum esset, quod ait Fevretus in  
§. 5. hujus capituli; Illas scilicet Summis Pontificibus pro-  
bari: vereor tamen ne non verum sit, quod ille affirmat. Sal-  
tem neque rationes, quas Summis Pontificibus propositas nar-  
rat, ejusmodi sunt, quibus motos illorum animos arbitrer;  
neque conjecturæ quibus utitur, secutam approbationem  
suadent. Quid enim sanctæ Sedi ab Oratoribus Regis Christia-  
nissimi adductum fuit in favorem illius praxis Curiarum Gal-  
licanarum ?

2. Pri-



2. Primò proposita fuit possessio. At illa neque multùm erat antiqua, neque pacifica, ut evidenter demonstrant Acta Cleri Gallicani, inter quæ multa sunt monumenta, quibus constat Episcopos apud Reges sæpessæpiùs orasse adversus illum usum, quem superiori sæculo vetustiore non esse jam vidimus: cumque desperarent se integram mali sanationem consecuturos, levamen saltem frequenter postulaverunt.

3. Secundò expositum fuit nullum alium Judicem posse de illis appellationibus cognoscere, cum ageretur de usurpata jurisdictione. Quid ergo, si Princeps, aut Senatus declararet suæ jurisdictionis esse, de rebus Fidei decernere: ad nullum alium pertineret de controversiis circa mysteria Religionis judicia ferre? Et, si id ab Episcopis tentaretur contententibus partem illam Episcopalis juris esse, solæ Curia Regiæ Judices essent illius quæstionis de competentia, ut vulgò nuncupatur? Dices nullum esse illius mali periculum in Gallia, ubi omnes profitentur auctoritatem Regiam illuc usque non pertingere. Ita quidem, exceptis hæreticis publicis, olim sentiebant Gallicani. Sed metuentum est, ne Officiales Regii, quorum plerique tunc sibi præclarè suo defuncti officio videntur, cum, depresso Ecclesiæ dignitate, Regiam extulerint, postquam disciplinam, quæ, ut ait S. Cyprianus lib. *De disciplina, & habitu Virginum*, *Reverentia fidei est*, ad sæcularia Tribunalia pertraxerunt, fidem denique ipsam Principum judiciis submittant. Nec vanum esse timorem ostendemus in conclusione.

4. Nisi Regii Officiales bonâ fide discernant, & agnoscant, quid ad Ecclesiasticam, quid ad laicam jurisdictionem pertineat, & unaquæque sibi suas partes vindicet, nullus erit dissidiorum finis; quibus in controversiis, licet propter potentiam temporalem plerumque prævaleant laici, non sine gravi animarum suarum detrimento, non dubito quin de jure finium regundorum judicium ad Ecclesiasticum potius pertineret Tribunal. Argumentum à pari, quo sæpè usi sumus, est *ad hominem*, ut dicitur, totam veritatem non exprimens.

5. Dicitur præterea tertio, Senatum non solis Laicis, sed etiam Clericis constare, adeoque corpus esse mixtum, non merè laicum.



Laicum. Verum quidem est, Senatum Comitiorum generalium loco successisse, atque ita quemadmodum olim ex quo Clodovæus Catholicam fidem suscepit, Episcopi juxta consilium S. Remigii, Consiliis Regiis, ac generalibus Conventibus, seu Placitis, & Parliamentis (iis enim nominibus indistinctè nuncupabantur) interesse solebant; ita constitutis Curiis Parliamentorum, ut in loco permanentes, jus omni tempore dicerent, inter Laicos conscripti sunt etiam Clerici; & dum intermissus fuit mos eligendorum ex Clero Consiliariorum, institit Clerus apud Reges, ut restitueretur; sperans nimirum fore, ut Clerici fidiorem operam navarent, ad impedendas Ecclesiasticæ jurisdictionis à laica usurpationes. Verum ridiculum est, idè Parliamentis jus decidendarum causarum Ecclesiasticarum tribuere, quod aliqui ex Consiliariis Clerici sint. Illorum enim numerus adèd exiguus est, ut in tanta Judicum multitudine pro nibilo reputandus sit. Nec adsunt, ut res Ecclesiasticæ ibi judicialiter tractentur cum sæcularibus negotiis, alioquin enim par saltè Ecclesiasticorum, & Laicorum numerus requireretur, sicut in Curiis, de Edicto nuncupatis, seu bipartitis, ad dirimendas Catholicorum cum hæreticis controversias, totidem sunt, aut erant hæretici quot Catholici.

6. Fuit quidem illa Clericorum, & Laicorum paritas ab ipsa Senatus Parisiensis institutione aliquandiu observata; cumque interrupta fuisset, iterum fuit restituta, ut videre est apud Stephanum Pasquierum lib. 2. cap. 3. Inquisitionum. Constat enim ex Edicto Ludovici XI. an. 1461. die 11. Septembris dato, & inter acta Cleri Gallicani relato, Senatum Parisiensem ex pari, aut ferè pari Clericorum & Laicorum numero tunc conflatum fuisse, & ex iis quadraginta Senatores Ecclesiasticos, ac totidem Laicos fuisse, unum Advocatum Regium è Clero, & alterum laicum, &c. Non dum tamen natæ erant appellationes ab abusu. Assistebant verò Clerici ut dixi, in judiciis sæcularibus juxta consilium S. Remigii; quia spes erat fore ut illorum ordo, ac religio, tum ipsos, tum etiam alios ad justè judicandum induceret; deinde ut Ecclesiasticæ jurisdictionis vindices essent, sed immutata est Ecclesiæ fors: expulsi sunt Clerici, paucissimis ex-

K k k k

ceptis,



810 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
ceptis, tum quando magis necessarii forent. Quamquam,  
ut verum fatear, nescio an qui è Clero assumuntur, sui erga  
Ecclesiam Officii satis meminerint. Nam etiam qui pii, ac  
justitiæ studiosi audiunt, quia Magistratus suos, ut civiles  
habent, de rebus etiam Ecclesiasticis plerumque magis juxta  
sæcularium Judicum stylum, quàm secundum Canones, &  
summorum Pontificum Constitutiones sententiam ferre di-  
cuntur. Quid putas facturos Laicos quamvis Christianos,  
& Catholicos?

7. Utilitas appellationum ab abusu petitur quartò, ex eo quòd  
excogitatae sint, ad impediendum quòd minus sacris Decretis  
derogaretur, vel Regni legibus. Sed Regis quidem est legum  
politicarum custodiæ debito modo invigilare; Ecclesiasticarum  
autem executionem tantummodò curare, postulante  
Ecclesiâ, non autem illarum Judicem agere. Aliàs sacris Ca-  
nonibus derogatur, dum opera dari dicitur, ne derogetur.

8. Ex eo etiam commendantur, quòd illis pariter utan-  
tur Clerici ad tuendam suam jurisdictionem adversus sæcula-  
rium injurias. Factum id fortassis aliquando est; sed compu-  
tentur Placita, seu Arresta in registris Curiarum contenta,  
vel à scriptoribus Gallicanis, Fevreto præsertim, relata, &  
constabit, vix unum pro jurisdictione Ecclesiasticâ contra  
Laicam reperiri, inter mille pro sæculari contra Ecclesiasti-  
cam prolata. Quòd additur, temerè appellantes ab abusu gra-  
viter puniri, ex eo solo falsi argui posset, quòd infinitus  
ferè sit illarum appellationum numerus. Num gravis pena  
temeritatis & sacrilegii, duorum aut quatuor nummorum  
multa, quæ judicium Ecclesiasticum defendenti perinde at-  
que impugnanti imponitur?

9. Verum est quòd notat idem Fevretus, Laicos poten-  
tiâ Brachii sæcularis præditos, promptiores, & faciliores  
esse ad usurpanda jura Ecclesiastica. Utinam æquè verum es-  
set, quòd asserit, appellationes ab abusu utiles, ac efficaces  
esse ad comprimendas illas usurpationes. Quòd enim plures  
Prælatos, Collegia, & societates Ecclesiasticas illis usas esse  
dicit, non probat earum utilitatem; quandoquidem multò  
pluribus Prælati, Collegiis, ac societatibus gravissimæ, &  
Ecclesiasticæ jurisdictioni infestæ visæ sunt. Cæterum Fe-  
vreto

M. C.

Libertatibus  
Ecclesie Gallicane  
GIII  
231



vreto fidem non habeo sine teste affirmanti, probatas ex omni parte fuisse hujusmodi appellationes Gregorio XIII. cum antea conquestus fuisset de Constitutione Blesensi ab Henrico III. edita an. 1579.

10. Frustra §. 6. plurimas congerit auctoritates scriptorum Gallicanorum in favorem appellationum ab abusu. Ex iis enim scriptoribus, plerique non in ea tantum parte, sed in aliis pluribus Ecclesiasticæ jurisdictioni tam aperte iniquos sese exhibuerunt, ut minimi momenti sit illorum suffragium: & facile esset illis longè majorem omnis generis scriptorum numerum opponere. Galli quidam unico verbo respondent, illos Autores vel morum Gallicanorum infcios fuisse, vel Curia Romanæ adulatos. Sed nescio an non verius Gallicanis scriptoribus objiciatur, illos Ecclesiasticæ jurisdictioni esse infensos, Principibus ablandiri, Ecclesiasticæ Majestatis depreffione gloriari, lucrum ex litibus circa res Ecclesiasticas expetere. Quod absit, ut de omnibus accipiam. Non enim defunt in Christianissimo illo Regno, qui illas appellationes improbent: nec parvus est illorum numerus.

11. Nec tamen intra fines à scriptoribus ipsis, quos citat Fevretus, præfixos, illas appellationes continuerunt Judices. Nam, ut hoc tantum exemplum proferam, Guido Faber Advocatus Regius Legatione ad Concilium Tridentinum, vel potius orationum in illo habitatum irreverentiâ (ut mitiori verbo utar) & primo ad propagandam per universas Gallia Ecclesias Regaliam conatu famosus, laudibus immensis, & eo ipso ridiculis, appellationes ab abusu extulit: non potuit tamen non fateri, referente Fevreto, hujusmodi appellationibus, non nisi rarò, opportunè, ac in magnis & illustribus causis esse utendum. An id observetur, testantur volumina registorum, & librorum, Placita super his prolata continentium.

12. Inter illos quidem Autores, quos refert Carolus Fevret, sunt aliqui veneratione digni, quorum sententia, si appellationibus illis faveret, non esset facilè contemnenda. Sed illorum suffragium parum ad excusandam ejusmodi praxim juvat. Nam v. g. quæ refert Fevretus verba tanquam Cardinalis Perronii, non Illustrissimi illius, ac nunquam satis com-



812 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
mendandi Purpurati, sed Parliamentorum sententiam exprimunt; dum ait, remedium illud à Parliamentis haberi tanquam Asylum libertatum Gallicanarum, firmumque jurium Coronæ propugnaculum.

13. Dominus de Foix, qui etiam allegatur, factus quidem fuit Archiepiscopus Tolosanus, sed, cum ea pro appellationibus proferret, quæ exscribit Fevretus, Oratoris Regii, non Archiepiscopi, munus obibat apud summum Pontificem: unde nihil mirum, si Regias rationes promoveri conatus sit.

14. Ad appellationes illas confugerunt aliquando Episcopi, ut notat Fevretus, sæpè inferiores Clerici, aliquando Regulares; sed in hoc, ut supra diximus, magis ad amovendam veram, aut falsam injuriam, aliâ, ut illis videbatur, ratione indeclinabilem attendebant, quàm ad damnum hinc Ecclesiæ illatum.

#### C A P U T X I V.

*Quam sequi conveniat agendi rationem, si quando injusti mandati executio exigatur.*

1. **E**T si non temerè damnanda sint superiorum Decreta, vel Præcepta, sed potiùs justa præsumenda sint, quoties apertam iniquitatem non continent; à qua regula si recedatur, peribit omnis ordo, confundetur omne regimen, subditis ob innatam, vel à peccato contractam, ad libertatem propensionem, mandata sibi minùs grata tanquam injusta vel de injuriâ suspecta facillimè accusantibus: Tamen quia Præpositi, quicumque illi sint, affectibus privatis duci in condendis legibus, aut imponendis præceptis possunt; atque aded res injustas exigere; videtur illis, quorum interest, licere, cum obedientiam negare; tùm, si urgeantur, aliorum opem implorare. Hac, ut opinor, ratione permoti sunt, qui primùm Judices sæculares in causis Ecclesiasticis appellarunt; quasi jure naturæ sibi fas esset adversus manifestas injurias à superioribus Ecclesiasticis, imò à supremo Pastore illatas, invocato potestatis sæcularis auxilio se tueri.

2. In-



2. Injusta quidem legis nullam esse obligationem, nisi forte ob vitandum scandalum, aut aliud malum; imò ne legem quidem esse docent communiter Theologi. quod de mandatis singularibus pari ratione sentiunt. Itaque illis non obtemperare nefas non est: de modo est quaestio. Equidem hac in parte optimus ille est, quem suadet Ivo Episcopus Carnotensis epist. 159. iis, qui se ab Ecclesia Romana gravatos conqueruntur; scilicet ut ab ipsa ad ipsum confugiant: & inde expectent levamen, unde se conqueruntur accepisse gravamen. Nam, ut docet S. Bernardus epist. 108. jam citata; *Apostolica Sedes hoc solet habere precipuum, ut non pigeat revocare, quod à se forte deprehenderit fraude elicatum, non veritate promeritum.*

3. Sed quid, si mandata injusta non modò non revocet Summus Pontifex, quantumvis de rei veritate ac statu certior factus, sed illorum etiam executionem acriter prosequatur? Celeberrimum est consilium, quod habetur in Capitulo de honoranda Sede Apostolica, quod plerique post Ivonem & Gratianum Carolo Magno adscribunt, quodque habetur in Concilio Tribur. anno 895. Can. 30. *In memoriam B. Petri Apostoli honoramus sanctam Romanam & Apostolicam Sedem; ut quae nobis Sacerdotalis Mater est Dignitatis, esse debeat Magistra Ecclesiastica rationis. Quare servanda est cum mansuetudine humilitas, ut licet vix ferendum ab illa sancta Sede imponatur jugum, feramus, & pia devotione toleremus.*

4. Quid autem, si ne vix quidem ferendum sit jugum, vel propter ejus pondus, vel propter infirmas vires, aut voluntates subditorum? Nonne tunc saltem potestatis saecularis opem fas erit implorare? Primò quidem, casus ille difficile contingere potest, ut veritate, ac justitià Summo Pontifici patefacta, ille saepesapiùs rogatus iniqua postulare pergat. Secundò vix illo etiam casu liceret adversùs sanctam Sedem Principes saeculares implorare: sed plerumque necessarium esset, ac de praecipuo, quod Ivo Carnotensis epist. citata consulere tantum videtur, his verbis; *Quoniam judicia Romana Ecclesia à nemine foris retractari posse, eadem Romanam Ecclesiam docente didicimus, si qui aliquando se praegravatos ipsius Ecclesiae auctoritate conqueruntur, hoc eis consilium damus, ut non descendant in Aegyptum propter auxilium. Quae ultima verba sic intellexit etiam ipse Marca Concord. lib. 4. cap. 17.*

5. Ab Aegypto auxilium petere, idest à Regia potestate.

5. Nulla finit prudentiae ratio, ut ab eo petas auxilium, à quo

Kkkkk 3

quo



M. C.  
Libertatis  
Eccle. Gallic.  
GIII  
231

814 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
quo periculum fit, ne postmodum opprimaris. Observat Ste-  
phanus Pasquierius disquisitionum suarum lib. 1. cap. 5. Ro-  
manis ad subjugandas Gallias referatum ab ipsismet Gallis adi-  
tum, imploratâ imprudenter illorum ope. Quod toti Natio-  
ni olim accidisse dicitur, id ferè Clero postremis sæculis con-  
tingit. Cùm enim, ut alibi observavimus, Pontifices, aut  
Pseudopontifices potestate suâ in magnum Ecclesiæ Gallicanæ  
detrimentum abuti crederentur, invocatum est sæcularis po-  
testatis auxilium; sed eâ occasione longè majus detrimentum  
passa est Ecclesia in sua jurisdictione, quàm consecuta sit emo-  
lumentum in conservatâ, pro qua decertabat, quorundam Be-  
neficiorum, & reddituum dispensatione.

6. Quantum cordi semper Ecclesiæ fuerit sua jurisdictio,  
testata est innumeris Canonibus ea de re conditis, & delato  
etiam Martyrii honore iis, qui pro conservanda illa dignita-  
tis, & potestatis suæ parte, mortem subierunt. Quo igitur  
lucro ejus jactura compensari potest? Aut quo pacto censu-  
ras eam ob causam promulgatas effugiunt, qui jurisdictio-  
nem Ecclesiasticam ad Laicos transferunt; aut qui, quò minùs  
transferatur, ut possunt, ac debent, non obsistunt?

7. Denique; ut rem ad extremas metas producamus, quæ-  
res, num saltem licitus esset ille recursus, si secluderentur illæ  
circumstantiæ, & Ecclesiasticæ jurisdictioni grave inde de-  
trimentum consecuturum non esset? Suppositio illa videtur  
involvere contradictionem, cùm ille ipse recursus in causis  
spiritualibus, & Ecclesiasticis per appellationes ab abusu, or-  
dine judiciario tractari solitas, sit Ecclesiasticæ jurisdictionis  
interversio. Adde quod, etsi suppositio sit metaphisicè pos-  
sibilis, moraliter tamen videtur impossibilis. Quis enim rem  
adeò in proclivi positam sistere queat? Ex eo, quod jam toties  
evenit, conjice quid futurum sit, nisi hujusmodi appellatio-  
num cursus sistatur.

8. Quicumque modus ponatur, quæcumque adhibeatur  
cautela, in maximo semper versabitur periculo jus Ecclesiæ,  
quamdiu vigeat illarum appellationum usus: nec minoris  
Præsulum Gallicanorum, imò, ut arbitror, pluris interest,  
quàm Summi Pontificis, ut abrogetur; quia ipsorum offi-  
cium frequentius impedit. Licet autem aliquando aliquibus pro-



prodesse videantur, omnibus tamen pensatis, plurimum inde jurisdictio Episcopalis deprimitur, & imminuitur.

9. Hæc de appellationibus ab abusu in communi dicta sufficiant. Singula enim earum capita, quandoquidem ex Fevreto infinita sunt, persequi esset impossibile. Ex genere autem quid de singulis speciebus sentiendum sit, unusquisque facile poterit intelligere.

10. Ex dictis enim abundè colligitur, quàm verè Autor Tractatus illius de *jurisdictione Ecclesiastica*, quem Clerus Gallicanus inter Acta sua retulit, quique habetur tom. 1. cap. 9. ult. collec. scripserit in tertia part. quæ est *De appellatione tanquam ab abusu* hæc ipsa verba. *Or le plus grand mal, & la plus grande playe, que jamais l'Eglise ait receüe en sa jurisdiction & police, est l'appellation comme d'abus, moyen inventé par les Officiers, pour attirer à eux toutes sortes d'affaires contentieuses, & desquelles ils n'ont nulle competence, n'y ayant chose en tout l'Univers, à laquelle ne puisse estre appliqué le pretexte & couleur d'abus, pour faire venir à leurs pieds les personnes Ecclesiastiques, de quelque degré qu'elles soient, & mettre aux prisons & aux fers cette ancienne liberté, qui serroit d'ornement à la France, & d'exemple à toute la terre. C'est ce qui a au dernier siecle depouillé l'Eglise Gallicane de son honneur & autorité, & ruiné sa discipline. Ce qui doit faire apprehender le renversement de l'Etat, aussi bien comme nous voyons la desolation de l'Eglise, &c. Et Illustrissimus Episcopus Ambianensis in oratione nomine Cleri Gallicani ad Regem Christianissimum anno 1666. habita, & in tom. 5. actorum Cleri Gallicani relata. Mais les appellations comme d'abus apportent bien encore un plus grand desordre & une plus grande confusion. C'est une nouvelle chicane inconnüe en France avant les derniers siecles, & dont le venin n'a point infecté les autres Nations Chrestiennes.*

#### CONCLUSIO.

1. **C**onstans Galliæ in Fide Catholica jam à tot sæculis perseverantia, & magna etiamnum illic vicens pietas certam spem afferunt, Christianissimum illud Regnum usque ad consummationem sæculi tam arctè Petræ, super quam fundata est Ecclesia, inhæsurum, ut nullis unquam Sathanæ machinis ab ea dimovendum sit. Nobilissimæ illius Monarchiæ gloriam, firmitatem, ac felicitatem, Principum ad Ecclesiam

de-



816 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,  
defendendam zelo, subditorum pro Catholica Religione studio, utrorumque erga Ecclesiasticum ordinem, præsertim verò erga sanctam Sedem reverentiæ, atque obedientiæ adscriperunt, & ipsimet Galli & Summi Pontifices. Quoniam autem res omnes per eandem causas plerumque conservantur, ex quibus ortæ sunt: expectanda est Religionis ac Principatus Gallicani perpetuitas ab antiquo pietatis affectu, indivulsaque cum Petri Sede conjunctione; siquidem, ut ait Carolus Fevretus lib. 1. cap. 3. num. 4. relatis Ecclesiæ Gallicanæ laudibus. *Elle s'acquist cette haute Dignité par l'union indissoluble avec le saint Siege de Rome, dont elle ne s'estoit jamais séparée. Car l'Eglise Romaine estoit l'esprit principal, qui animoit toutes ses Facultés & Puissances: c'estoit le centre auquel elle renissoit toutes les lignes de la circonference; le Soleil duquel elle empruntoit toutes ses plus divines clairtés, & les plus resplendissans rayons de sa gloire: bref c'estoit le premier mobile, duquel elle suivoit tous les mouvemens.*

2. Neque spem illam eripere valent, quæ interdum, maximè autem postremis temporibus intercesserunt dissidia. Ea enim est mortalium omnium conditio, ut neque qui perfectionis Christianæ fastigium assecuti videntur, imperturbabili pace perenniter gaudeant, quamdiu in hoc mundo versantur. Propria civium Jerusalem cælestis est illa felicitas. Sed quemadmodum arbores à ventis exagitata radices altius defigunt; ita inter electos dissensiones strictiori concordia non rarò viam sternunt.

3. Fatendum est in Gallia fuisse à quibusdam tentata nonnulla, quæ si longius, ac latius progressa fuissent, non solum communionis Ecclesiasticæ, sed & fidei jaçturam tandem invexissent. Nam præter libellum Richerii *De Ecclesiastica & Politica potestate*, à duobus Conciliis Provincialibus damnatum, tanquam multas continentem propeositiones, expositiones & allegationes falsas, erroneas, scandalosas, schismaticas, & ut sonant hæreticas: præter eorum fortè opera, quos Richerium in suas partes traxisse cum vehementi suspitione schismatis narrat Henricus Spondanus ad annum 1612. num. 3. præter duo volumina *De Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ* à pluribus Episcopis die 14. Februarii anno 1639. hæc censurâ notata. *Volumen utrumque serè per omnia commata noxium, hæreticum passim, schismaticum, impium, verbo Dei frequenter contrarium, Hierarchia Ecclesiastica, & disciplina Sacramentorum, ac Sacro-*

M. C.

De  
Libertatibus  
Ecclesiæ Gallicanæ  
GIII  
231



rum rituum destructivum, sanctæ Sedi Apostolica, gloriosissimo Regi nostro, Sacerdotibus Dei, & Ecclesiastico Ordini, ipsique adeo Ecclesiæ Gallicanæ injuriosum, ac periculosissimum, scandalo plenum, à nobis publico consensu judicatum vobis significamus: Præter illa, inquam, sparsa sunt identidem alia schismatis & hæresis semina, quale illud erat, cujus confutationem ante aliquot annos vidimus cum hoc titulo; *Mémoire pour faire voir sommairement au Roy, que la maxime schismatique & heretique que l'on a pretendu établir dans le playdoyé, qui fut prononcé dans le Parlement de Paris le 12. Decembre dernier 1664. à sçavoir que les Princes temporels ont le droit, & le pouvoir de juger & de décider des dogmes de la foy, & de la discipline Ecclesiastique, n'est appuyée que sur des preuves defectueuses, qui sont toutes ou avancées contre la vérité, ou détournées avec surprise, ou déduites avec artifice, ou rapportées hors de propos, ou tirées des exemples des heretiques, ou des personnes suspectes dans la foy.*

4. Contra disciplinam autem, & jurisdictionem Ecclesiasticam quot continentur dogmata in laicorum præsertim tribunalia sæcularia frequentantium libris v. g. in tractatu Caroli Fevreti, in supradictis voluminibus de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, & aliis? Quodque maximè dolendum est, immanes illi errores & injuriæ, ipsaque demum Ecclesiæ servitus specioso libertatum Ecclesiæ Gallicanæ titulo insigniuntur. Non possum tristitiâ non affici; cum inter legendos Laicorum propria commoda in imminuendâ Ecclesiasticâ potestate sectantium, libros similia occurrunt: sed longè gravius fero, quod qui Clero adscripti sunt, ac privilegiis Clericalibus gaudere volunt, Ecclesiæ Dignitatem & autoritatem deprimere studeant, etiam dum ejus Beneficia sibi asserere contendunt.

5. Audi quomodò Ecclesiæ Gallicanæ libertates explicet Dominus Carolus de Lotharingia Comes Marfani in quadam responsione typis edita contra Dominum Episcopum Cadurcensem in lite circa pensionem prædicto Comiti, quamvis conjugato, & ex interpretatione juris Canonici Bigamo, à sancta Sede super fructibus præfati Episcopatus indultam. *La Liberté Canonique, qui fait celle de l'Eglise Gallicane, ne consiste pas à former des contestations contre l'autorité du Pape, elle consiste principalement, comme a remarqué le docteur Monsieur du Puy, dans son Commentaire sur les libertés de l'Eglise Gallicane. Page 16. sur le premier article, au droit, d'empêcher que les Papes n'entreprennent rien en ce Royaume au prejudice de la disposition des*



anciens Canons, SI CE N'EST DV CONSENTEMENT DV ROY ET DV PEUPLE. Ces derniers mots expliquent tres-bien l'effet de nos liberez, & font connoître qu'il n'est pas veritable, que ce soit une liberte de l'Eglise Gallicane de se maintenir dans l'observation rigoureuse des anciens Canons. La France reçoit les dispenses memes gratuites, comme on sera voir dans la suite, elle s'accomode souvent des relachemens memes de la discipline par une condescendance, pour ceux qui ne peuvent pas toujours vivre suivant l'austerite des anciens Canons. Toute la difference qu'il y a donc à cet egard entre la France, & entre les autres Pais, qu'on appelle Pais d'obedience, c'est QU'EN FRANCE ON EST EN DROIT DE NE POINT RECEVOIR CES SORTES DE DISPENSES. SI CE N'EST DV CONSENTEMENT DV ROY ET DV PEUPLE; & c'est dans cette difference MANIERE D'ACCEPTER ET D'EXECUTER LES BREES DV PARE, que consiste TOVTE NOSTRE LIBERTE'.

6. Gratiam illam à sancta Sede concessam accusare non auctim, sciens quam benemerita sit de Ecclesia, & etiamnum mereatur nobilissima Lotharingæ familia: sed optarem ut recenti hoc exemplo moveretur Summus Pontifex ad statuendam firmissimam legem de custodiendis fartis-rectis ex omni parte veris Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus, hoc est de procuranda ad amissim Canonum observantia, negatis quibusvis dispensationibus, nisi evidentissimâ, & urgentissimâ necessitate compellente: cum tam frequens experientia comprobaverit disciplinæ Canonice per dispensationes relaxationem in sanctæ Sedis injuriam converti, & ab aliis gravi ora sæpe inferri damna, quos ipsa majoribus prosecuta est favoribus. Qui primus Ecclesiam Romanam schismate lacerare tentavit, Novatianus fuit, quocum super irregularitate dispensatum fuerat à Romano Pontifice. Qui contra Canonum præcepta quamprimò Sedem obtinuerunt (absit tamen illorum cum schismatico & hæresiarcha Novatiano comparatio) cum aliâ, cujus sunt vel pinguiores redditus, vel honores ampliores, tam facile commutant; qui ad beneficia Ecclesiastica beneficiis aut pensionibus cumulanda perpetuò anhelant; qui denique ad sanctæ Sedis potestatem recurrunt, ut extortis dispensationibus amoveant impedimenta explendis privatis cupiditatibus, à sacris Canonibus apposita: iidem certè in aliis capitibus, quæ non ita sibi commoda sunt, Romani Pontificis Primatum & auctoritatem facile contempserint, aut etiam impugnarint, si quid spe-



spereant aliunde. Utinam ergo Ecclesia Romana & Gallia conspirent ad propugnandam illam libertatem Canonicam, quæ validissimum est pietatis ac religionis, imò & fidei propugnaculum, exactam scilicet Canonum custodiam.

7. Utinam Clerus Gallicanus Majorum suorum vestigiis inhærens ad arcendos errores, & ad retinendam partem illam jurisdictionis, quæ nondum ipsi ablata est, curam & operam suam potius conferat, quàm ad circumscribendam capitis sui potestatem; ne fortè, quod plerumque accidit, si ipse debita Patri suo reverentiæ desit, à filiis suis graviore patiatur contumelias. Quomodo enim Fideles juxta D. Pauli præceptum obediant, & subjacebunt Episcopis, quos supremi Ecclesiæ Pastoris partim obedientiam detrectare, partim metas ei brevissimas ponere viderint? Interest famæ Augustissimi illius Cleri, ut quod ab aliquibus ex ipso adversus summum Pontificem pro illorum juribus contendente gestum est, ab aliis, qui nec mandatum nec consensum præstiterant, minime ratum habeatur; sed ab omnibus potius oblivioni mandetur.

8. Maximi etiam interest gloriæ Regis Christianissimi, ne prædictorum Antistitum declarationi patrocinetur. Cum enim de constanti non solum retinendæ, sed etiam propugnandæ fidei Catholicæ, atque Ecclesiæ proposito sibi certo conscius sit, ejusque illustria edat argumenta, cur eam voluntatem, aut voluntatis constantiam in suspicionem publicam vocet, significans se doctrinam illam timere, quæ Reges & Principes fidei aut Ecclesiæ hostes, emendationis incapaces, per temporales pœnas ad officium suum reduci per Ecclesiam posse tradit?

9. Sed possetne Princeps tantâ sapientiâ præditus non advertere, ex Cleri sui sententia plus periculi, si non sibi, nimirum potentissimo, saltem suis successoribus, quàm Romanis Pontificibus imminere? Nemo enim Catholicus dubitat potestatem B. Petri, ejusque successorum à Christo Domino immediatè oriri, atque aded, ut ait Nicolaus I. epist. 8. *Privilegia istius Sedis vel Ecclesiæ, perpetua sunt, Divinitus radicata atque plantata sunt, impingi possunt, transferri non possunt, trahi possunt, evelli non possunt.* Si ergo summum Pontificem à Christo constitutum omnium fidelium Pastorem & Rectorem, ejusque Vicarium immediatum deponi à Concilio generali posse admittamus, multò facilius Regem à Comitibus generalibus exautorari posse concedendum erit,



820 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS, &c.  
erit, cum non nisi mediata à Deo Principatum obtineat. Nam quantumcumque protestentur moderni, se in tuto positam censere Regiam Dignitatem, non defuerunt etiam Gallicani Scriptores, qui assererent, Monarchiam illius Regni esse Aristocratiam temperatam; idque de facto patuisse, quando Regnum ad alienas familias translatum est, contemptis propinquieribus Regum defunctorum Cognatis: nec ulla potest verisimilis ratio discriminis assignari, quæ in Papæ validius, quam in Regis favorem non militet, si æquâ lance pendatur.

10. Ita senserunt etiam Regum adversus Summos Pontifices defensores, v. g. Jacobus Almain, qui tract. de Autoritate Ecclesiæ cap. 1. tertium hoc corollarium statuit; *Tota communitas potestatem habet super Principem ab ea constitutum, qua eum (si non in adificationem sed in destructionem politia regat) deponere potest, alias non esset in ea sufficiens potestas se conservandi: & ista potestate communitas quondam usque Regem suum deposuit: non tam pro criminibus, quam pro eo quod tanto regimini inutilis esset, &c.*

11. Omnium denique Fidelium paci & quieti expedit, ne de supremi Pastoris sententia dubitare doceantur, ac tanquam parvuli fluctuantes circumferantur omni vento doctrinæ, donec suborientes fortè fidei quæstiones generalis Concilii, quod vix post unum aut alterum sæculum celebrandum sperent, irreformabili judicio fuerint definitæ, aut communi dispersorum per mundum univèrsum Prælatorum, quorum suffragia rescire difficile, conciliare difficilior sit, consensu diremptæ.

12. Et quisquam viderit vel audierit, quod Rex & Episcopi apostolica Sedis Summum Pontificem obaudiunt, & honorant, & promptius, & humiliter eis subiecti sui obediunt. Hincmarus epist. ad Nicol. Pap. qua est 17. tom. 2. edit. Sirm.

13. De illis, qui ut Summum Pontificem ab executione Canonis Concilii generalis Lugdunensis regaliam extendere prohibentis deterreat, odiosam quam confutare conati sumus, doctrinam importunè objicient, oportunè dicet Innocentius XI. cum Paschali 2. epist. 6. quæ est ad Archiepiscopum Poloniæ; *Numquid hæc nos commodi nostri professione requirimus, & non unitatis Catholice statuimus firmamentum? Possunt Apostolicam Sedem contemnere, possunt adversum nos calcaneum elevare, datum à Deo privilegium evertere vel auferre non possunt, quo Petro dictum est, Tu es Petrus & super hanc Petram adificabo Ecclesiam meam: Et: Tibi dabo claves Regni Cælorum.*

F I N I S.